



Euripus : tragoedia christiana

<https://hdl.handle.net/1874/420903>

et.

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

200

200

200

200

200

200

200

200


X. oct


200














RAGOE

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



gel



TRAGOE=

DIA CHRISTIANA AVTORE

F. Liuvino Brechto Antuerpiensi,

è familia Franciscana

Louaniensi.

Ex dono Buecelij.

Ad Reuerendis. in Christo Patrem, & illustriss.

Principem, D. Georgium ab Austria,

Episcopum Leodiensem, Ducem

Bullonens. Comitem

Loffens. &c.

SECUNDA AEDITIO,

Priore non paulo castigatior.

L O V A N I I

Apud Petrum Phalesum & Martinum Rotarium,

bibliopolas iuratos, M. D. L.

Cum Privilegio C. M. signato a P. Lens.



IN F. LIVINI BRECHTI ANT-
uerpiensis Euripum, Epigramma Augu-
stini Hunnæi Mechliniensis,

Ad Lectorem.

Discere uis, Lector, sceleratæ præmia uitæ?
Falsaq; conciliet quid metanocæ mali?
Livini EVRIPVM multatum morte gehænæ,
Contemplare frequens, ne patiaris idem.
Moribus ille tibi similis dum uita maneret,
Et nondum putris uermibus esca foret,
Improba rite solet uitæ commissa fateri.
Sæpe sacerdotum prociidit ante pedes.
Quin et fallaci spernens uaga gaudia mundi
Coepit angustam letus inire uiam,
Sed mox a duro uirtutis tramite cessit,
Molle iter ingressum mors inopina rapit.
Damnato insultant furie, ueterumq; melorum
Supplicia exercent, non habitura modum.
Illius inconstans si non metanocæ fuisset,
A cæco Ditis carcere liber erat,
Nunc uero frustra dolet, æternumq; dolebit
Mobilis EVRIPVS, mobilitate miser.
Quod te uult monitum, Lector, qui sæpe cauere
Proponis, uitæ crimina fœda tue,
Propositum sed inane manet, facti s; negatur,
Vita nec est melior, nec cita fat a times.
Quare age, ne referas Euripum morte, uideto,
Euripum uita qua modo forte refers.

REVÉ

RENDISS. D. ET ILLVSTRISS.

Principi D. Georgio ab Austria, Episcopo
Leodiensi, Duci Bullonensi,
Comiti Lossensi,

F. Liuinus Brechtus Antuerpiensis

S. D. P.



ROVOCAVIT me & animavit omnibus obuia humanitas ista tua, ornatissime Præsul, & simplex animi candor, nihil mundani fastus aut supercilij præ se ferens, ut hunc qualemcūq; ingenioli mei foetū amplitudini potissimū tuæ dedicarē. Nec enim ignorare possum, quā te exposuim atq; affabilem ijs exhibeas, quos alicuius tibi eruditionis nomen commendat: & Euripus noster impolitior licet, ac paucissimis notus, tam benignè à te tuisq; iamdudum est exceptus, ut pro suo nunc modulo instructior limatiorq; ac per theatra notior factus, sub nullius malit præsidio, quā doctissimi Antistitis in manus hominum uenire: uidelicet non parum sibi gratiæ & autoritatis apud plerosque tam præclaro nomine accessurum confidit, qui se alióqui Leodien-

A ij. sibus

sibus tuis non simplici iure deberi contendit. Deceui proinde illius uotis non ultra oblectari, qui per populosas mauult academias & urbes discurrere, quam retrusus domi in angulū, solus & ignobilis mcerere. Atque utinam à latebris suis ad lucem productus præstare aliquatenus possit, quod crebro nobis blandeq; pollicetur: ne post tristem damnationis suæ sententiam præter decorum frustra uideatur ab inferis emeruisse. Præstabit autem si quorundam bene nonnunq; incipientium inconstantem ac momentaneam serè resipiscenciam acriter castigauerit: efficaciter sui similes admonens, apprehenso semel aratro non respicere, timorem Dei non abigere, ad uomitum non redire: ne latam scilicet perditionis ingressi uiam, in eundem corruant tormentorum locum. Quòd quidem ut efficacius, Deo cooperante, possit, seduli lectoris uicissim fuerit, purgatas ei aures, animumq; præsentem adhibere. Imò studeat, quisquis hinc fructum expetit, uitam suam cum Euripi moribus diligenter conferre: humiliter persuasum habens, sub alieno sibi nomine nimis seriam ac domesticam fabulam narrari. Est enim quod hic tractamus argumentum è media hominum uita desumptum, huc potissimum spectans, ut iuuentus cæca plerunq; & lubrica, inconstantiam suam, uanita-

tem scditatem uelut in speculo diligenter inspiciat: inspectā agnoscat & exhorreat, agnitam damnare discat & odisse: damnatam atque exosam, relinquere studeat & perpetuò deplorare.

EVRIPi autem nomen fabulæ indidimus, & inconstantis & malè prouidi adolescentis primæ in ea sunt partes, cuius mobile ingeniū, lubricosq; mores ueteri alludentes prouerbio, fictitio Euripi nomine duximus insinuanda. Addidimus etiam in de actioni, Tragediæ titulum, quòd in ea plusquā tragica mala describantur, dum per diti adolescētis infrenis nequitia turbulentissimo clauditur exitu, & funesta mors desperantis, calamitatibus, pœnis, opprobrijsq; excipitur, nec finiendis unq; nec mitigandis. Quæ duo, mortem dico & inferos, utinam diu multumq; secum expenderent quotquot dulci fortuna ebrii, nouissima sua seriò prouidere negligunt, dissimulant, contemnunt: Nimirum quia gens sunt absq; consilio & sine prudentia: gens inquā quæ cæco presentium amore fascinata, futura non prospicit: ignē illum inextinguibilem, nec cogitat, nec expauescit: Christoq; illum terribiliter cominanti, reuera non credit. Et hic quidem Tragediæ scopus, prout in prologo apertius testamur, nec Christiana professione, nec monastica (opinor) religione indi-

PRAEFATIO AD

gnus. Cæterū ad sumptū argumentū & inexpli-
cabile malorū Iliadē, pro dignitate tractandā, longē
alio fateor opus fuisse artifice, præsertim hoc secu-
lo, ut admodū erudito, ita & delicato, nēpe insigni
oratore & poëta, qui splendido & instructissimo
uerborum rerumq; apparatu, & uarijs affectibus ad
uiuū expressis, Tragicam spirare maiestatem sub-
limiori coturno, feliciores grā diloguetia potuisset.

Quis Martē tunica tectū adamantina (inqt Lyric)
Dignè scripserit? & puluere Troico
Nigrum Merionē? aut ope Palladis
Tytidem superis parem?

At q̄to iustius ego ad describendas res maxime se-
rias, arduas, graues, quæ Actu quarto quintoq; agi-
tantur, longē me imparem fuisse confitebor? Quis
enim iusto sesquipedalium uerborū tonitru inenar-
rabiles peccatoris animam agentis angustias expli-
cet, mortem iniqui ut pessimam, ita amarissimā; te-
rrentiorum cacodæmonū horribiles aspectus, acer-
bissimos terrores, asperrimas insultationes, atrocis-
sima conuicia, durissima uerbera? Quis quæso,
uel mediocriter eruditus, non dico ad uiuum expri-
mat, sed rudi saltem carbone nō infeliciter deline-
et, incomprehensibilem æternæ mortis horrorē, in-
fernalium tormentorū inexplicabilem acerbiteratem,
exæstus

exæstantis iugiter gehennæ ardores sempiternos,
 terribilem illum tenebrarū principem, præposuam
 mortis, caput impiorū, draconē rufum, & leonem
 effrum, desolatissimi deniq; reproborū gregis pre-
 petua lamenta, eiulationes, mugitus, & uæ, uæ. Non
 sunt profecto hæc nostræ paruitatis inscitæ uel in-
 fantiæ, quis ea prorsus intacta noluerim præterire:
 lubens proinde hanc Spartam ijs accuratius ornandam
 cedo, imò ut uelint inuito, exhortor, obsecro,
 quibus ad tam sublimia magnificè personanda libe-
 rius est otium, felicius ingenium, instructior supel-
 lex uerborum ac rerum, uberior eloquentia, amplior
 gratia, feruentior spiritus, exactior doctrina. His
 enim procliuus fuerit, quæ humanum longè exce-
 dunt intellectum, maiori artificio & laude, iustiq;
 sententiarum pondere explicare: modo in animum
 inducāt saluberrimis id genus curis ad gloriam Dei
 & proximorum institutionem potius occupari, q̄ in
 cantillandis putidis amoribus, poëticiis ue figmentis,
 non sine graui iuuentutis corruptela, ingenij sui ner-
 uos intendere. Nos interim struxisse contenti pro
 nostris opibus incenia, toti primum in hoc sumus, ut
 peccatores ad bona pigerrimos planeq; incurios, in
 erroris, nequitiae, ac cæcitatissuæ, pleniorē notitiam
 inducamus: ostensa dehinc periculorum magnitudi-

PRAEFATIO AD

ne, in quibus iugiter uiuunt, ad efficacē eos malorum
 suorum pœnitentiam. ruborem, odium, atq; detesta-
 tionem quantum possumus prouocemus. Ut au: em
 consilij nostri summam plenius aperiamus, hic ea or-
 dine tractantur, quæ nō paucis à Pascha solent usu-
 uenire: uidelicet quòd plurimi pœnitentiā potius si-
 mulent, q̄ uerè agāt: multa Deo ac uicarijs eius pro-
 mittant, & parum aut nihil præstent: polliceantur
 de se magnificè, & ad primam tentationem animo
 concidant: luctæ spiritualis tædio ilicò à concepto
 seruore torpescant: ociosi, desides, nauseabundi in
 uia Dei obdormiant: mundana uanitate illecti quo-
 tidie magis deficient & insolescāt: per curiositatem
 oculorum & aurium, in laqueos diaboli cadant: im-
 proborum consortio corrupti, timorem Dei prorsus
 abijciant. Fractis inde pudoris ac modestiæ repagu-
 lis, intrepidè ad pristina uitia redeant: totos se uolu-
 ptatibus tradāt: ardore cōcupiscentiæ, & carnis il-
 lecebris infatuati nihil pensi habeāt: assiduo peccādi
 usu in damnabilem mentis cæcitatem & abyssum
 malorum ueniunt: concessum sibi tempus gratiæ &
 pœnitentiæ, totum uitijis mancipet, uoluptatibus dis-
 sipent, insatiabili libidine perdant: obliti Dei, cœli,
 suiq; in morte æterna obdormiant: mortui, stultitiæ
 suæ atrocissimas pœnas luant, tantoq; acerbius coar-
 Etentur

Et emur in tormentis, quanto se liberius dilatauerunt in delictis. Hæc sunt ferè humanissime Præsul, quæ Christi. no lectori promittit Euripus, modo defæcata mente diligenter fuerit excussus. Nunc ne quis spiritalium rerum imperitior, uel perplexus hæreat, uel impingat in limine, operæ precium uideatur & de uiarum discrimine, quæ crû creberrima ubique hic fit mentio, aliquanto diffusius uerba facere.

Vicè itaq; istæ dextera & læua, arcta & spaciiosa, quarû dominus Iesus meminit Mat. 7. significant nobis plurimum inter se dissidentes affectus, studia, mores, conuersationem, atq; scopum filiorum Dei, & amatorû huius mûdi. Quanquã enim idem maris æquor atamus, ubiq; obnoxij mortalitatis huius fluctibus & procellis: esto, Christianæ professionis utriq;, eundem portum quærere uideamur: plurimum tamen in renigando dispares, in uelificando dissimiles sumus. Quod quidem non exiguum inter utrosq; studiorum discrimen, tamen si nunc uiros spirituales non lateat, longè tamen notius & omnibus perspicuum magis magna illa iudicij dies reddet.

Ex his porro duabus orbitis sinistra illa ac spaciiosa perditionis uia inuentu nõ est difficilis, ut ad quam nostra nos sensualitas, siue caro: laxiora sequentium promiscua multitudo: & tot ubiq; mala exemplanon

PRAEFATIO AD

eam pellicunt, q̄ propellunt. Nos nihilominus scena
I. Actus terij, istam latam & spaciosam uiam, his
uersibus utcumq; lectori ostendimus: Securus ergo
Euripe sis, & omnium Torquere pectus scrupulum
quæ solent, & cæt. Et paulò post, eodem loco.

Animo molestum quicquid aut contrarium,
Duriùm uel sentis triste, acerbum, rancidum,
Statim reuelle, seduloq; extermina,
Chartis, fritillo, paculis, nugis, mero, &c.

Ecce desyderia carnis, ecce uitam amatorum istius
mundi, ecce uiam in speciem latam, amœnam ac flo-
ridam: ut enim bene scripsit Poëta:

Molle ostentat iter uialata, sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua fixa.

At contra: arctam uitæ semitam uerè inuenire, à la-
ta uitorum orbita prudenter secernere, in omnibus
eam nusquã reflexo perambulare uestigio non faci-
le est, nec cuiusuis. Nec mirum sanè, cum dicat Ve-
ritas: Et pauci sunt qui inueniant eam, haud dubiè:
quia debita soliciudine, affectu, ac sedulitate non
quærent: pauciores uerò qui ambulant eam: quia ui-
riliter nõ tenent: imò à nondum ingressa muliebri-
ter resiliunt. Ad arctam ergo uiam (ut aliquid di-
camus) hoc est, uerè Christianam uitam (nostro iu-
dicio) hæc ferè perinent, Deum super omnia de-
siderare

siderare, fideliter quærere, purè & ardentè amare.

Studiosè ac syncerè Creatorem suum honorare, colere ac timere. Præcepta ipsius & ecclesiæ, exactè seruare. Nullius hominis causa uel minimum Dei mandatum præuicari. Nulla omnino ratione ab ecclesiæ castris deficere: sed quæcunque ab ecclesia catholica fide indubitatè tenentur, eadè syncerè, simpliciter, integrè, more patrum credere, & in nullo huiusmodi hæsitare, uacillare, claudicare.

Religiosum debitumq; cultum, beatissimæ Mariæ uirginis & omnibus sanctis impendere. Iustè, piè, sobriè & castè uiuere. Pacem (quantum in se est) cum omnibus seruare. Rigidè seipsum in omnibus quæ agit, loquitur, cogitat obseruare. Lubricã ac petulantem linguam, tanquam efferam beluam assidua seueritate cohibere. Exteriores sensus ab omni quod illicitum est, uel periculosum, strennuè coercere. Omni diligentia cor suum custodire. Peccandi occasiones studiosè tollere & resecare, pericula uitare. Neminem uerbo uel factò lædere. Ad offensi fratris reconciliationem, ilicò accurrere.

Nemini offendiculo esse, ab omni specie mali abstinere. Nemini quicquam præter synceram dilectionem debere. Omnibus pro sua facultate citò & plenè satisfacere. Piè indolere proximorū ca-

sibus

P R A E F A T I O A D

sibus & miserijs . In operibus misericordiae tam
spiritualibus, q̄ corporalibus strennuè se exercere.

Vias suas diligenter & crebrò scrutari. Quae
sunt uocationis suae, officij, professionis & ordinis,
frequenter expendere, studiosè inuestigare, uirili-
ter exequi. In dubijs & controuersijs peritiores
consulere: aliorum iudicio magis, q̄ suo sensui crede-
re: sacris doctorum cõsilijs potius acquiescere, q̄ suae
ipsius prudentiae inniti. Vitam suam quotidie ad
calculum reuocare, crebrò & exactè confiteri: praeteritos
lapsus amarè deplangere: quotidianos defe-
ctus & spirituales miseris deflere. Nihil temerè
aggredi uel innouare. Timorem Dei semper praec-
oculis habere. Ab improborum consortijs &
colloquijs sedulò se subtrahere. Adulatores, su-
surrones, detractores, maledicos, & potissimum
de haeresi suspectos, tanquam certissimas animae pe-
stes fugere. Mundanam curiositatem, luxum, &
pompan odisse. Immaculatum se ab hoc saeculo
custodire. Turbulentos animi motus placida tran-
quillitate frænare. Iræ, indignationis, inuidiae, im-
patientiae, ac superbiae bestiales impetus uiriliter re-
tundere. Contra prauos affectus suos, & con-
suetudines quotidie dimicare. Cum interiori ho-
mine subinde pugnam conferere. Proprijs diffi-
sum

sum uiribus continenter orare, flere & ingemiscere. Pro animabus omnium fidelium defunctorum creberrimas Deo preces fundere. Humiliari sub potēti manu Dei: & aduersa quæuis, quālibet acerba atq; indigna æquanimiter ferre, grauioribus se dignū credere. Temporaria deniq; omnia fortiter contēnere, crebrò & ardentē ad æterna suspirare.

Et his quidem & id genus artibus ac studijs dignè Christo & Euangelio uiuitur, per angustam portam ad cœlestis patriæ latitudinem contenditur, regnum cœlorum pia quadam sed mascula uiolentia rapitur. Assidua siquidem nostri abnegatione, perfecta ueteris hominis expoliatione, quotidiana crucis baiulatione, uestigia Christi sequimur, cœlesti regno uim inferimus, ad æternam salutem, requiem & gloriam properamus. Cæterum ubi hæc principio dura, inamœna, aspera, Euripi similibus proponuntur, tanquam obiectis in uia subitò spinis, rupibus ac salebris, animo percussi ilico turbantur, in tepefcunt, scandaliſantur, retrocedūt, ad ingenium redeunt, atq; adeò, deterius q̄ unquā prius aberrantes, de se desperant; nimirum, quia caro sunt, quia mollioribus assueti, quia supinè negligentes & incurij, aut nimia sui fiducia cæci. Porro cū inter cætera maxima esse uideantur impedimenta uetæ

PRAEFATIO AD

conuersionis. Oblivio fidei Christo datae in baptismo: & crebrius in poenitentiae sacramento renouatae. Diffidentia diuini auxilij & praesidij, & respectus praesentis laboris: nos ea uarijs amoliri rationibus, nec iniuria, sub persona Timoris conati sumus. Propterea enim paucissimi uerè conuertuntur, & Deo fideliter seruiunt, quia uoti in baptismo aediti, unà cum abiuratione diaboli & pomparū eius, sunt obliti: quia oculos & cor efficaciter ad caelum nō sustollunt, nec habitant in adiutorio altissimi: quia sic praesentem respiciunt tribulationem & laborem, ut immemores sint aeternae posthac quietis & afflictionis, poenae & gloriae. Maximum autem horum impedimentorum in tyronibus uidetur diffidentia caelestis praesidij. Quare selectum unum aut alterum locum ex aureis libris Confessionum beati Augustini in carmē nostrū studiosè transtulimus, ut huic malo opponeremus. Locus autē B. Augustini 8. Confessionū sic habet: Tu nō poteris quod isti & istae, an uerò isti & istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Quid in te stas? & non stas. Projice te in eū, noli metuere, nō se substrahet ut cadas: Projice te securus, excipiet te, & sanabit te, & cæt. Verissimè quidem & efficacissimè clarissimus ille doctor quae in se senserat, omnibus uerè conuerti uolentibus,

expo-

exposuit: sed plurimi è uulgo pœnitentium Euripum
 continuo tergiuersantem, & nũchoc, nunc illud te-
 merè causantem, malunt imitari, q̃ uiros sanctissimo
 quamlibet bene monenti, auscultare. Fecimus au-
 tem hunc ipsum adolefcẽtem ad pristina carnis de-
 syderia nequiter relapsũ, Actũ tertio, à Venere
 iratum discedere, ut hinc colligat sagax lector, quæ
 ad institutionẽ rudiorum uisum est hĩc subnectere.

IN PRIMIS, neminem prima statim fron-
 te, primoq; congressu omnem prorsus exuere mode-
 stiam atq; pudorem, sed sensim de pudescere & in-
 solescere, gradatim ad detestabilem impudentiam
 & mentis cœcitatẽ perducĩ. Mortuus enim La-
 zarus, sed quatrduanus fœtet, & peccator cũ in
 abyssum malorum uenerit, contemnit. Nemo, inquit
 pœta, repenti fuit turpissimus. Deinde, quod
 graui nonnunquam molestia fatigati, aut improbita-
 te, fastuq; muliebri ad horam exasperati, fornicato-
 res, concubinarij, adulteri, immũdi, molles, quasi iam
 nouo spiritu afflati, ostendũt spem pœnitentiæ, sed
 inueteratæ consuetudinis constricti uinculis, dum sa-
 lubriter cogitata, uel tepidè exequuntur, uel negli-
 genter procrastinant, in eadem mox uitia, ac longè
 deteriora labuntur: uidelicet quia peccandi occasio-
 nes uiriliter non refecant, super salute sua peritiores

non consulunt, uel benè monētib; non acquiescūt, debitam sibi uim inferre negligūt, se totos ad incessanter orandum pro gratia, non conuertunt.

Tertio, in quas abominationes, scelera & flagitia propter cæcam sui fiduciam atq; hinc ingratitude nem suam pleriq; corruant, qui desyderabilem spiritus dulcedinem quandoq; gustauerunt. Completur enim in quibusdam terribili, sed iustissimo Dei iudicio, quod de sapientibus gentilium scribit Paulus: **Rom. 1** Propter quod tradidit illos Deus in desyderia cordis eorum in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, &c. Quarto, nullum inter tot mala ac pericula uel oportunius consilium uel efficacius esse remediū, q̄ui homo diligenter expēsā infirmitate & multiplici miseria sua, se totum humiliter substernat prosternatq; Deo: tantoq; studiosius ac flebilius diuinam imploret gratiam & misericordiam, quāto se propensiozem esse sentit ad perditionē atq; ruinam. Et his quidem ita discussis, in cæteris non admodum hærebit (opinor) quisquis humanarum rerum non prorsus expers est, modo carnalia sua desyderia, inconsulta consilia, turbida studia, temeraria uota, ridiculas curas, insanos affectus, pudentos lapsus, sinuosos adolescentiæ anfractus, atque adeò totum ueterem hominem suum cum ijs quæ
hic le-

hic leget, studiosè uoluerit conferre. Porro Actū
 quartum & quintum (quanquam in actione nonnul-
 lis uisi sint prolixiores) nō ita multum breuiamus.
 Verboſius enim ea peccatoribus inculcāda putamus,
 quæ meritò deberent expendere frequentissimè,
 & efficaciter sibi in memoriam reuocare. Esto,
 quidam illibētius ea audient lēgentq;: nimio tamen
 præstat id genus acerba salubriter iam reuoluere, q̄
 ijs neglectis, incomparabiliter postea acerbiora pa-
 ti. Si cui proinde immodicus uidebor, in amarulen-
 tis dæmonū insultationibus, si prolixior in explican-
 dis inferorū terroribus & pœnis, atēdat obsecro, q̄
 inueteratis languoribus aciora parentur pharmaca
 & graui oppressos somno uellicare, pulsare, quassa-
 re, & nonnunquam lecto detrabere oporteat, prius-
 quā plenè torporem excutiant. Videlicet eā men-
 tem habemus plerique (non modò peruersi & ob-
 stinati, sed tepidi quoq; ac fastidiosi) ut nisi audito
 prolixiore sonitu, terribiliter clangentis buccinæ nō
 tremamus, qui ad solita terriculamenta, tanquā obso-
 leta supinè stertimus. A ueteres siquidē scri-
 ptur arū minas assiduò sic usu ac familiaritate obstu-
 diimus, ut nisi importunius nostrā nobis cæcitas, ca-
 lamitas atq; perditio inculcetur, ab inueterata mentis
 ignauia plenè nō expergiscamur. Conciones quidē
 sacras (præsertim eloquentia nobis & eruditione

PRAEFATIO AD

impēsius placentes) nō illubenter, imō & cupidè au-
dimus: sed ferè non aliter atq; carmen musicum,
quod suauī, dulciq; sono mulcet aures. Nihil enim
uel emendatiorēs uel feruētiorēs templo egredimur,
q̄ intrauimus: pristinae desidiæ solitisq; uitijs sua-
uiter indormire non desinimus: ad lachrymosæ cō-
punctionis amaritudinem rarissimè extimulamur.

Proinde quum tam multi nostra memoria arctū
uitæ tramitē nimium dilatauerint, & inculcata ubi-
que Diuina clementia, benignitate, misericordia di-
strictum Dei iudicium, pondus diuinæ iustitiæ, in-
tolerabilem gehennæ horrorem, & infernalium tor-
mentorum acerbicatem, propemodum intacta reli-
querint: perutile omnibusq; modis expediens iudica-
ui, peccatores nimis plerunq; securos, cœcitas ac pe-
riculi sui acrius prolixiusq; admonere. Utile inquam
fore duxi, si in recensendis futuri sæculi malis stu-
dio se immorarer, atq; insisterē diutius: si fortè qui-
dam acerrimis gehennæ supplicijs uelut coram se po-
sitis exterriti, salubriter paueant, sibi ipsis metuant,
medullitus compungantur. Quæ uerò de duris-
simo mortis agone ac damnatorum tormentis diffu-
sius tractauimus, ita uelim accipiant & amplexen-
tur, Euripi similes, non quasi poetica figmenta, aut
de nostro conficta capite somnia, sed ut Canonici-
scripturis, sanctorumq; patrū sententijs consona.

Quæ

Quæ si cui insuauia, prolixiora, & nimis rigida uidebuntur, legat obsecro, uel unū Dionysiu Chartusens. in libello de Quatuor nouissimis, & inueniet nos pro argumenti ubertate per pauca, pro immensa rei mole scripsisse exigua. Si cui, dico, onerosa fuerit aut odiosa subinde replicata gehennæ, & ignis æterni mentio, cogitet obsecro, q̄to intolerabilius aliquando, nō paucis fortè nostrū erit, habitare cū igne deuorante: excruciarī ardoribus sempiternis: perpetuò, sed frustra plāgere: assiduo mœrore cōtabescere: interminabili luctu affligi: præ nimij doloris rabie, stridere dentibus, terribiliter infremere, eiulare, ac mugire: superbissimorum deniq; dæmonū tyrannide oppressos, toties (præ angustia spiritus) emitte uoces ut parturientis. Siquis fortassis audire nō sustinet dānati spiritū tā terribiliter sibi & alijs maledicentē, diligenter expēdat obsecro, q̄to grauius erit reproborum permistū turbis, iugiter audire terrores, & conuicia dæmonū, stridorem uerberū, strepitum flammarū, horrenda tonitrua, clamores confusos, ululatus dissonos, lamenta deniq; fremitus & blasphemias, quas inextinguibilis illius ignis semper rediuiua incendia infelissimis extorquebūt. O q̄ salubre plerisq; foret hæc potius, hisq; similia subinde reuoluere, q̄ tot bonas horas ignauo otio perdere, tot floridos dies ludis & friuolis occupationibus dis-

PRAEFATIO AD

sipare. Verum quia id genus funesta, secum frequenter
 uersare (quod est necessarium) insuauis uideatur & per-
 molestum, uideant caeci huius mundi amatores, ne ali-
 quando cogantur perpeti, quae modo nolunt praeme-
 ditari. Quomodo enim sustinebunt intolerabile iudi-
 cium gehennae, qui mortis & inferorum, nec mentio-
 nem ferunt? Reuera popule insipiens, & grauis ini-
 quitate, qui te beatum dicunt, qui uitae tibi callem di-
 latant, qui molles puluillos sub omni cubito manus con-
 sumunt, qui blandiuntur dico & adulamur tibi, qui cre-
 denti mendacis placentia magis quam uera loquuntur:
 ipsi te seducunt, & uiam gressuum tuorum dissipant.
 Non enim (quod prophetici est officij) iniquitatem
 tibi tuam sincere aperiunt, ad agenda poenitentiam
 sedulo non eximulant, iram uiuentis Dei & aeter-
 na supplicia fideliter non annunciant. Et haec qui-
 dem dicta sunt carnalibus, lubricis, incurijs, temera-
 rijs, obstinatis, qui cum peccare quotidie non desinant,
 ueram agere poenitentiam, uel dissimulant, uel ne-
 gligunt. Atque utinam cum gratia Dei, haec ipsa quae
 dicimus, sic ferrea istorum pectora penetrent, ut uel
 nunc tandem salubri terrore concussi, resipiscant: sic
 territos iam & resipiscentes emolliant, ut uitijs eo-
 rumque occasionibus perfecte ressecatis, uitam suam do-
 mino opitulante, in melius serio commutare pergant.
 Tam efficaciter denique intus illustrent, ut damna-
 tionis

tionis suæ proxima pericula semper præ oculis habentes, se in sanctioris uitæ studio ad mortem usq; constanter, iuuante Deo, contineant. Sed quò nos ornatissime Præsul, supra epistolarem angustiam flebilis argumenti miseranda fecunditas prouexit? quò præter omnem expectationem rapuit ardens studium desyderijs promiscui lectoris satisfaciendi? Non ausim ultra abuti patientia tua, illustrissime Princeps, tantum oro, ut hunc foetum eo vultu excipere digneris, quo consueuisti illius parentem. Sic enim futurum spero, ut in tuam receptus tutelam, pluribus hic labor noster prosit, & mihi stimulus addatur atque fiducia, quæ adhuc præ manibus sunt, omnibus auitæ pietatis amatoribus communicandi.

Parauimus enim iam dudum ad ampliorem mentis refectionem, fercula (absit ubique iactantia) aliquanto his suauiora: Carmina, inquam, spiritali condita dulcedine, diuersis temporibus locisq; ab ingressa religione à nobis scripta: quæ in sylvam nunc iam studiosè digerimus, ut recognita, emaculata, approbata, si Dominus dederit, breui ædamus. Dominus Iesus, te diu mente & corpore seruet incolumem. Vale. Louanij Calend. Augusti.

An. Domini M. D XLIX.

B iij. PROLO-

PROLO=

GVS CVM ARGV-

mento in Euripum

Tragediam.

S Aluete mystæ literarum candidi,
Commendat ampla quos uel eruditio
In disciplinis institutos serijs:

Vel artium seueriorum ancillulæ
Adhuc camcenæ blandiores occupant:
Pariterq; cuncti, quotquot hac in area
Pueri, senesq; puberesq; assistitis:
Animi salutem, corporisq; perpetem
Grege noster optat omnibus uobis, petens
Ut actioni præbeatis uos nouæ
Alacres, benignos, expeditos, candidos.
Absint sonoro quæsumus cum murmure
Strepitus, cachinni, turba & omnis improba,
Fructumq; quicquid spiritalem fabulæ
Possit susurris impedire stridulis:
Consideretur res ut accuratius
Vicunque uerbis explicata non malis:
Pressum frequenter cæcitate non leui
Hominem laborat quæ sibi ipsi ostendere:
Quantisq; semet ingerant periculis,
Cæci ac supini carnis ac mundi affectæ,

Dei

Dei timore quum relicto, luxui
 Veneri, fritillo, crapulaq; seruiunt:
 Operumq; carnis quale sit stipendium,
 Aeterna nempe mors: gehenna, tartarus.

Hæc sunt notari scilicet quæ poscimus,
 Ut digna multi quæ reuoluant sedulo:
 Non diffitentes interim, lasciuia,
 Nugisq; quædam affinia esse comicis,
 Quæ dum decoro seruit autor, ac suam
 Gestit petulcis cæcitatem ostendere,
 Modo non coactus est alicubi aspergere:
 At temperatè hoc egit ipsum ac sobriè,
 Præberet ulli ne quod offendiculum,
 Prodesse quærens quo ad licebit omnibus.

Spektare uerò hoc ad decorum credidit,
 Suggestiones pestilentes dæmonum
 Blasphemiasq; efferret ut licentius:
 Et quæ subinde in cordibus uersarier
 Et ore spurco dyscolorum existimat,
 Verbis ut aptis explicaret plenius:
 Vel hinc iuuentus discat ut cæcutiens,
 Quo suggerente proloquantur talia,
 Imaginentur, concupiscant, factitent:
 Quæ propter Orci mancipari incendijs
 Damnatum iniqui spiritum uidebitis.

Spektet iuuentus hæc proinde lubrica,

PROLOGVS.

Infrænis, effrons, turbulenta, improvida;
 Si fortè blando delibuta carmine,
 Ad saniora prouocetur serio:
 Quam conciones tot sacræ non corrigunt,
 Nec ipsa CHRISTI uerba, quanq̃ crebrius,
 Sed corde lecta non satis pio ab improbis.

Erroris autem plenius causam sui
 Ut plurimorum cæcitas intelligat,
 Scenas theatri, & ordinis mysterium
 Hic indicare non inuanè ducimus:

Domus Ti
 uoris. Primam Timori inscripsimus scenam, gradus

Quod ille primus spiritalis sit uicæ:

Antrum ad
 sedicæ.

Quem qui uirili non tenet constantia,
 Mollem retrorsum degener ad Acediam
 Gressum reflectit à labore semitæ

Vita vulga
 ris.

Angustioris: mox salutem negligit,
 Ingressus amplam (uulgus ut sœuit) uiam,
 Mollis, remissus, liber, atque incurius

Viridariū
 mundi.

Fallacis hinc uireta mundi ad florida
 Libidinosus, ebriosus, impius,
 Ut destitutus gratia delabitur:

Domus
 mortis
 Inferi.

Pauloq; post mortis tremendæ spiculo
 Perfossus, Orco mancipatur perpetim.
 Nunc explicemus argumentum fabulæ,
 Hæc ut patefiant plenius mysteria.

Feruore dum correptus Euripus breui

(Sub

(Sub Pascha solet ut plurimis contingere)
 Meditatur arctæ semitam ingredi uicæ:
 Metu laboris fructus ac socordia
 Obdormit: inde ad uanitatem lubricam,
 Venerisq; amorem illectus à Cupidine,
 A se Timorem pellit: atque gratiæ
 Seruire tempus cogit Aphrodisiæ:
 Indormiensq; crapulæ ac libidini
 Mortis pauendæ spiculo transfigitur:
 Venus & Cupido spiritum illusum diu
 Flammæ perennis in barathrum pertrahunt.

Rei ecce summam, pro uirili, quam mei
 Vobis sodales exhibere gestiunt:
 Ut quotquot amplam mortis ingressi uiam,
 Vitæ relicto denariunt tramite
 (Astare quales suspicamur plurimos)
 Euripi acerba sorte perculsi tremant,
 Nimirum eisdem sordibus pleni ac malis:
 Summiq; Regis cooperante gratia,
 Dignis laborent pœnitentum fructibus
 Tormenta luctus sempiterni euadere.

Proin (redire spiritali si domum
 Non absque fructu uultis) ora huc uertite
 Animosq; curis liberos ab omnibus:
 Boniq; lapsus consulentes obuios,
 (Pia charitatis ut monet benignitas)

PERSONAE DRAMATIS

Nostram iuuate industriam. silentio.

Ego (actioni ne qua contingat mora)

Ad ludiones intro, mox ut prodeant.

¶ DRAMATIS PERSONAE.

Venus & Cupido, Diabolico schemate, Actu Primo, Quarto, & Quinto.

Venus & Cupido, forma humana, & cultu maxime eleganti, superbo ac sumptuoso, Actu Secundo & Tertio.

Euripus adolescens, amictu pauperis uiatoris primum, deinde uestibus splendidis ac magnificis, à Cupidine ei suppeditatis.

Timor Dei, senex in cana barba, in habitu sacerdotali uel philosophico.

Tempus gratiae, Puer alatus & stolatus instar angeli, clepsydram manu tenens.

Mors, armata iaculo.

Pestis mortis pedissequa, instructa arcu & pharetra.

Anima Euripi aeterrima, uincta, & aspectu horribilis.

Chori lamentantium.

Chorus daemonum aëriorum.

ACTVS

ACTVS EVRIPI PRIMVS.



Venus. Cupido. (uo
licine Cupido spiritua afflatus no
Euripus esse noster amēs de sijn,
Ducē sequutus tetricū Dei metū?
Eua sit unguēs ille nostros im-

Artes, doloq; compedes & retia? (probus,

Feruore in ipso mollis adolescentia?

A Equo quis istud ferre possit pectore?

Eua sit inquis? non per atyas Cerberi

CVRIDO.

Ditisq; fauces: sed calore improvido

Repente tactus (ut iuuentus assolet)

Patere cœli regna iam putat sibi:

Vix obtinenda mille post angustias,

Curas, dolores, lachrymas, pericula.

Expers laborum mira persuadet sibi,

Quæ mox in arcti fronte callis corruent.

Quis quæso, traxit illum ad istam amentiam, VENVS.

Iuuenem ac tenello delicatum corpore?

Stomachosus ille, & lippiens cucullio,

CVRIDO.

Terrere sæuis qui minus plebem solet,

Instar iuueni mugiens è pulpitis:

Hic atræ mortis territum formidine,

Ac fascinatun occulta per susurria,

Euripum ad istam perpulit uæsaniam,

Vt læta mundi blandientis abdicans,

Meditate

Meditetur arctam permeare semitam.
 Sed ab instituto (si quid in me astutiae est)
 Errore, nostris auocabitur dolis:
 Grauiusq; lapsus tam profundè corruet,
 Vt ad salutem exurgere ultra non queat.

VENVS.

Quibus ista queso machinis, ac fraudibus
 Confecta reddes? CVPI. Post docebit exitus:
 Nunc inter ipsas callis arcti angustias,
 Inusitata fractum amaritudine,
 Mœrore, curis, tædio, atque acedia,
 Sic obruamus, sic premamus obrutum,
 Pigro ut sopore uictus, altum dormiat:
 Nudumq; telis porrigat nostris latus,
 Impune amoris uulnerandus spiculo.

VENVS.

Age ô scelestum deuoremus transfugam:
 Tu delicati, membra lassitudine,
 Mœrore pectus, sic fatiga & obrue,
 Ut fessus ultra progredi dextra neget:
 Ego saxa, spinas, cum lapillis asperis,
 Euntis ante congeram uestigia:
 Ut permolestis urgeatur scrupulis,
 Suumq; uæcors institutum exhorreat.

CYPIDO.

Curemus ergo hæc ipsa uterque strennuè,
 Cogamus illum ad illecebras pristinas
 Cito redire, hinc impotenti perfugam
 Amore cæcum, in omne pertraham nephas:

Scis

Scis quanta pestis sit amor adolescentiæ.

Iam faxo discat iste noster sanctulus,

Vis quanta nobis, impetus, solertia.

Eccum sed illum, cum Timore ac Tempore,

Libet aucupari quid loquantur improbi.

Timor Dei. Euripus.

E Vrripe, fac sis masculo nunc pectore,
Summi ministrum ut esse principis decet:

Iugumq; CHRISTI mite fer uiriliter,

Rapias perennis ut coronam gloriæ

Suis parauit quam Deus fidelibus.

Paratus asto, duc uolentem quo lubet,

Habiturus ad mandata quæuis impigrum.

O lux perennis, o superna ciuitas,

O dulce coelum, quando uobis perfruar?

A mole carnis liber huius scetidæ.

Suspirat ad uos mens anhela o coelites,

In pace semper qui beata uiuitis,

Omnis laboris ac doloris inscij.

Prius memento sed tibi certamina

Instare multa, angustias, pericula,

Desyderata quam fruaris gloria.

Promde temet pectore imperterrito

Oppone cunctis hostium conatibus,

Cordisq; totam collocans fiduciam

In Conditoris optimi potentia,

VENUS.

EURIP.

TIMOR.

Ne cede

EVRIP

Ne cede uanis improborum insultibus:
 Qui nisi uolentem non ualent prosternere.
 Caue labore fractus aut molestia,
 Vel arma iactes, terga uel des degener.

EVRIP. Ego terga uertam? frangar aut laboribus,
 Suauitate delibutus coelica?
 Non tanta nostrae mentis inconstantia est,
 Ut infidelis esse tam bono queam
 Regi Deoq; crede nunquam hoc fecero,
 Nec si iuberet ille me mox emori.

TIMOR. Euripe, disce pressius de te loqui,
 Nihilq; magni de tua praesumere
 Virtute posthac, uiribus, prudentia,
 Iustus superbum ne sinat labi Deus,
 Exosus omnem grauius arrogantiam.

EVRIP. Ego tam benignum principem qui deseram,
 Labi ue possim? cum futurae gloriae
 Inusitata senserim praeludia?
 Labore spero possidere quam breui
 Optata cum mors hinc uolentem eduxerit.

TIMOR. Vide ante pugnam ne triumphum concinas,
 Nam multa restant bella, sudores, mala
 Superanda, dextri callis inter aspera,
 Caeli priusquam perfruare gaudijs.

EVRIP. Spectabis ipse quam resistam fortiter,
 Vincamq; quicquid se molesti obiecerit.

Venus

Venus. Cupido.

Cupido nequam, uersipellis, improbe,
Audis ne quantum stultus hic se iactitet,
Infirmatis immemor prorsus suæ?

Homo iste furuum per Charontem noster est, CUPIDO.

Nisi bruta, trunci, caudicesq; ambo sumus.

Persuasione qui placens falsa sibi,

Suiq; caeca turgidus fiducia,

Speciosa cœli regna iam spe deuorat,

Cum poenitere serio nec coeperit.

Affectiōis religiosæ subdola

VENUS.

Deceptus, ac sibi blandiens dulcedine

Ineptus absque pulueris iactu putat

Se mox ad arcem subuehendum cœlicam;

Oblitus imbecillitatis propriæ,

Maliq; quantum perpetrarit hætenus.

Age occupemus dexteræ fauces uiæ,

CUPIDO.

Fragilemq; notis impetentes faucibus,

Absterreamus à salutis tramite.

Iam faxo discat ad perenne opprobrium,

Euripus amens quam parum scelicitè,

Tam magna de se turgidus præsumpserit.

Timor. Euripus. Tempus gratiæ.

EVripe, uerbis facta iam respondeant:

En ad bicornem nunc uiam peruenimus.

Suis magister quarum utramque cœlicus

Sermone

EVRIP

Sermone seruis luculento prodidit.
 Læuam memento blanda sit quantumlibet,
 Ac lata totis uiribus relinquere.
 Hæc, per labores plurimos contendere
 Summi necesse est regis ad palatium.

EVRIP. Proh, quæ repente mestitudo plumbea,
 Obnubilati cordis obsidet sinum:
 Pectusq; quantis hoc procellis æstuat.

TIMOR. Quid fronte mœres nubila? quid ingemis?
 Ego dux præibo, ne quò aberreres hæsitans.
 Tibi prisca monstrans cœlium uestigia.
 Tu fac superni munus inclytum patris
 Abire nusquam gratiæ tempus sinas:
 Iuuenem sed arcta mobilem stringens manu,
 Eo ad salutem diligenter utere.

EVRIP. Vitam uiarum me iubest timor ingredi?
 Istam ne planam, mollem, amœnam, floridam,
 Vbi dulcè cantant alites cœli melos?
 An hanc salebris sentibusq; asperrimam,
 Vbi cuncta mœrent tetrico silentio?

TIMOR. Hoc dico raris tritum iter uestigijs,
 Ad amœna cœli quod per alta rupium,
 Spinasq; ducit horridosq; murices.

EVRIP. Hei, quantus istinc sudor instat & labor:
 Horrere pectus incipit, dum cogito
 Quam sit tenellum corpus, & cor anxium.

Vtinam caballus aut asellus quispiam,
 Alatus ille Pegasus uel adforet,
 Quo transuolare saxa possem hæc ocuis,
 Non absque multo permeanda tædio.

Quid expauescis fluctuasq; degener,
 Ac nostra cessas insequi uestigia?

TIMOR:

Hæc ambularint quum tot olim millia
 Duce me piorum: iam saluis compotes
 In arce coeli qui triumphant perpetim.

Vtinam tenellis ipse ab unguibus quoque

EVRIPI:

Ingressus essem dexteram sic semitam:

Modò corde possem libero procedere.

Sed me laboris horror ita nunc occupat,

Non sperem ut istac posse me diu pergere.

Euripe, quid tibi ipsi ineptè inniteris

TIMOR:

Perplexus, hærens, æstuans, horrens, gemens;

Viresq; tantum proprias considerans,

Metu laboris inusitati affligeris?

Age Conditoris optimi in clementia

Securus omnem colloca fiduciam:

Qui robur amplum suggeret fideliter,

Piam tibi ipsi inferre uim dum cceperis,

Sub mole fessus ne laboris corruas.

Securus, inquam, totam habe fiduciam

In Christo IESV: nil tibi non affatim

De eius profusa largitate pollicens:

C

Noli

EVRIP

Nolitimere, non tibi se subtrahet,
 Suis fidelis qui ministris, neminem
 Suprà grauari, ferre quàm possit, sinit:
 Sed pro laboris ac duelli pondere,
 Dat affluentis commeatum gratiæ,
 Dextramq; cunctis porrigit fidelibus,
 Certare quotquot strennuè conspexerit.
 Confisus ergo altissimi in potentia,
 Virtute lassos multa qui corroborat,
 Effœminatam pelle tandem ignauiam,
 Premendo nostra alacriter uestigia.

EVRIP. Oratione tu quidem melliflua,
 Iucunda quæ sunt audienti differis,
 Lex sed uetustæ dura consuetudinis
 Me detinet sic uinctum, ut istam semitam
 Seuerioris instituti quo magis
 Magisq; specto, hoc amplius deterrear
 A callis arcti tetricis anfractibus.

TIMOR. Atqui hoc ob ipsum (uincla consuetudinis
 Quia te uetustæ fortiter stringunt nimis)
 Cordis dolenter anxij te lumina
 Dulcem leuare regis ad clementiam
 Moneo superni: debiles qui sustinet,
 Qui corruentes excipit, qui languidos,
 Laesosq; sanat, qui iacentes erigit:
 Hunc lachrymosis inuoca nunc gemitibus,

Ipsiq;

Ipsiq; mentis indicato angustias,
 Plangere, precari, conqueri non desinens,
 Te donec ille sanet, atque liberet
 Qui compeditos eximit de carcere,
 Vectesq; frangit, ac cathenas dissipat.

Heu me, necesse est prorsus ergo commodam

EVRIPI:

Ac florulentam semitam relinquere?

Carere suetis perpetimq; gaudijs?

Nimis heu subire hoc senticetum exhorreo.

Vbi pulchra quæso uerba nunc, ac splendida

TIMOR:

Promissa, summo facta nuper principi,

Cum rupta plorans innouares foedera.

Quur ante pugnam miles ignauissime

Terrore uano contremiscens angeris?

Ne sic labores huius incertissimæ

Breuisq; uitæ finiendos termino.

Aeterna spectes sed perennis præmia,

Cum optanda iustis, tum tremenda reprobis.

Eamus, en præcedo, tu uestigijs

Nostris inhære, ne qua aberrans deuies.

Accingor ecce, te sine mora subsequar.

EVRIPI:

Fidenter ipsa saxa cum spinis preme,

TIMOR:

Animo uirili cuncta cedent aspera.

Quantquam labores ac dolores horream,

EVRIPI:

Te ductor alme, iam sequor: sed hei mihi,

Quam durus iste callis est & arduus

E V R I P I

Densusq; spinis asper & inamabilis,
 Transire per quem, debilem cogis Timor:
 Tædet laboris, pes labat, mens concidit,
 Finem nec huius semitæ usquam conspicio:
 At illa læuam tramitem spectans uia,
 Quàm lata, amœna, mollis est ac florida,
 Blando uolucrum cantu ubique personans.
 O si parumper fas sit hâc excurrere:
 Cessaret omnis ilico cordis dolor,
 Labor, quærela, lassitudo, tædium.

TIMOR. Faceſſat iſta mentis fluctuatio,
 Timorq; uanus: quid ſiniſtram reſpicias,
 Extrema cuius mors perennis excipit?
 Hâc eſt eundum, perge, quid moras trahis?
 Cùm nulla cælum præter hanc petat uia.
 Animum reſume quæſo, nam ſemper magis
 Dulceſcet uſu, quamlibet grauis labor:
 Nec derelinquet ſeruulum ſuum Deus.

EVRIP. Pergamus ergo, quando ſic iubet Timor,
 Præcede lentis commodè ſed paſſibus,
 Poſſumus ut te claudicantes aſſequi.

TIMOR. Attemperabo infirmitati me tuæ.
 Adſit labori dexter incepto Deus,
 Animoq; robur fluctuanti ſuggerat.

EVRIP. Papæ: ni emiſco totus, angor, horreo,
 Pedibus nec ultra progredi læſis queo,

Per

Per huius arcti senticetum tramitis.

Ah delicate miles, o mollis puer,

TIMOR.

Effaminato quid pauescis pectore?

Vixq; inchoato praelio arma proijcis?

Videtur asper quamquam & intolerabilis,

Mitescet usu poenitentiae labor.

Tantum uirile robur & mentem indue,

Christumq; passum diligenter inspicere,

Vt ferre discas propriam laetus crucem.

Heu me, uoluntas non deest, sed horridus

EURIP.

Labor impeditae debilem terret uiae.

Quis namque ab omni segregatus gaudio,

Merere, flere, iugiterq; plangere,

Famemq; possit, frigus ac sitim pati?

Vigilq; semper excubare in praelio?

Quis possit inquam (moriuus tanquam foret)

Oculos, & aures, caeteris cum sensibus,

Linguamq; sic frænare ubique lubricam,

Vt nusquam aberret, cespitet uel corruat,

Carnalis expers perpetim solatij?

Rogas quis ista possit? ille scilicet

TIMOR.

Durum seueri qui furorem iudicis,

Tubaeq; murmur horridum nouissimae

Voluit subinde cordis in fundo sui:

Exaestuans qui gehennae perpetem

Expendit ignem, daemonesq; aterrimos,

C iij.

Ac mil.

Ac mille pœnas criminum stipendia.

Hæc nam profunda mente quisquis ruminat,
Poterit caminum uel subire flammeum.

EVRIP. Eheu coartor hinc & inde plurimum,
Percussus utrobique non leui metu.

Hinc nanque terret fulmen oris me tui
Dum mentionem dæmonum tristem facis,

Stygiſq; nigræ & ultimæ ſententiæ :

Sed contra, abhorret mens ab iſta non minus

Tam ſenticofa & impedita ſemita,

Grauate corpus imbecillum hoc pallio

Vili, moleſto, decolore, ſordido.

TIMOR. Euripe cur hanc abominariſ ſic uiam?

Cùm ignota non ſit aut recens, uel inuia:

Sed ambularint hæc ab orbe condito,

Legis ſub umbra tot piorum millia:

Iuſti, prophætæ, patriarchæ, principes.

Et poſt Ieſum alacritate plurima

Innumera populi turba feſtinauerit,

Pueri, puellæ, puberes, uiri, ſenes:

Et inter illos, Cæſares, Reges, Duces:

Et tu quod iſti præſtitère fortiter,

Virtute mentem roborati cœlica,

Præſtare Chriſto non ualebis auſpice?

Nec enim iſti & iſtæ (quos tibi proponimus,

Hæc inſequendos) delicati, nobiles,

Dites,

Dites, tenelli, sexu & annis debiles,
 Regum, Ducumq; filij, atque filia,
 Potuere tantum caeteros praecellere
 Perfectione sanctitatis plurimae,
 Proprio labore, uiribus, solertia:
 Sed copiosa roboratos gratia
 Prouexit omnes tantam ad excellentiam.
 Rex ille regum, qui gubernat omnia,
 Menteseq; clarè singulorum perspicit.
 Horum ad coronas perpetemq; gloriam,
 Palmas, triumphos, ac beatitudinem,
 Intendo quaeso, pectoris acumentui,
 Posthac sequaris ut praeeuntem alacrius:
 Paulisper & ne inferre uim breuem tibi
 Tam sit molestum, ac praeliari strennuè,
 Ut cum beato grege quiescas iugiter
 Patriae in supernae pascuis uirentibus.
 Certare namque iam necesse est omnibus,
 Perennè quotquot ambiunt stipendium,
 Quod palma solis danda sit uictoribus.
 Quin ergo sumpto cordis ex his robore
 Sequi laboras strennuè tot milites
 Christi, grauatos mole quondam carnea?
 Non enim beatos ut imiteris angelos,
 (Quibus onerosus carcer hic nunquam fuit)
 Deposcit à te Rex supernus, sed homines

Olim caduco tecum amictos corpore,
 Inuicta magni quos Dei potentia
 Post crebra fecit bella tandem uincere
 Cum carne mundum, dæmonasq; subdolos.

EVRIPI. Mibi quoque tantum si dedisset gratiæ,
 Favor supremi regis affluentior,
 Non te grauarer & ipse alacriter sequi.

TIMOR. Non est benignum quòd datorem gratiæ
 Ingratus ullo nomine accuses: tibi
 Vel defuisse conquerens, uel defore
 In rebus arctis eius adiutorium:
 Cum liberarit hæctenus, frequentibus
 Te mentis atq; corporis periculis:
 Occasiones & subinde plurimas
 Conuersionis ac salutis desidi
 Vano, otioso, negligenti det tibi.
 Cogèris ipse quòd fateri protinus
 Consyderare si uelis attentius,
 Quibus aliquando uixeris in angustijs,
 Vitijs, periclis, cæcitate, sordibus:
 In te loquatur & quid ille iugiter,
 Stans atque pulsans cordis ad fores tui,
 Non cessat intus erudire qui suos,
 Corroborare, illuminare, & ungere,
 Quosuis paratus adiuuare, ac pascere,
 Ad se reuerti si studerent sedulo,

Ad audiendum intus docentem spiritum .

Tuæ proin fac imputes incuriæ,
 Ignauiaq; tam diu quòd fluctuas,
 Trepidās, & hæres anxius, non optimo
 Deo, patriq; cuius ingratisimus
 Toties abusus largitate, & gratia es:
 Vagus, otiosus, delicatus, languidus,
 Dum cooperari negligis donis Dei.

Non possum apertæ ueritati obsistere.

EVRIIP.

Quosque uecoris ergo non credes mihi,

TIMOR.

Vt ueritati cognitæ consentias?

Quin Conditoris optimi in potentia

Securus omnem collocas fiduciam?

Prius ut monebam, nec monere desino.

An summus ille rex, & autor omnium,

Qui tam benignus, tam potens est, ac pius,

Te non ualebit roborare, aut rennuet,

Ad sustinenda aduersa fortiter omnia?

Poterit profecto (sueuit ut creberrimè)

Dum corde toto in omnibus periculis,

Flens, ingemiscens, supplicansq; instantius

Eum requiras, ut fideles assolent

Christi, Deiq; factitare milites,

Necessitate prægrauati qualibet.

Pergamus ergo, consequar te, quatenus

EVRIIP.

Per imbecillæ carnis hoc onus graue

C v.

Fesso

Fesso licebit: sim licet iam plurimo
 Mœrore fractus, & grauibus angustijs.
 Quiserit sed huius asperæ finis uicæ?

TIMOR. Ah, iamne rursus? quid subinde obmurmuras?
 Non profutura uerba, quid frustra seris?
 Nec ad laboras quo meandum est progredi?
 Procede, perge dico, gressum promoue:
 Quid necis istic noxias frustra moras?
 Properare quum te grandis urgeat uia,
 Si sempiterna uis quiete perfrui.

EVRIPI. Atat, seure quo Timor me pertrahis?
 Vis ista certè est: non uides quæ perferam?
 Spinae tenellos sauciant pedes mihi.
 Corpus fatiscit sub labore & pondere,
 Mens ægramceret, anxia est, ac deficit.
 Et sustinenti tot mala nihil condoles?

TIMOR. Hæc uana uerba, Euripe, sunt ac friuola:
 Sed inter hæc nil promouemus desides.
 Si te fatigat callis iste durior,
 Non esse mollem cogita ad cœlos uiam.

EVRIPI. Properare posthac non recusor, nunc precor
 Sine, ut quiescens hic parumper dormiam,
 Donec libebit progredi qua cœpimus.

TIMOR. Paulum quiesces ergo, paulum dormies,
 Prouerb. 6. Viæ sinistrae proximus confinio?
 Piger, remissus, otiosus, negligens.

Istic iacebis inter hostes pessimos?

Hoc, me profecto autore, nunquam feceris,

Cui notiora sunt pericula quam tibi.

Hac obsecunda, amabo, nunc in re mihi,

EVRIP.

Inusitati de laboris pondere

Fastidioso, somnolento, languido:

Humiq; mecum conquiesce ad horulam.

Quin scipionem utraque corripis manu

TIMOR.

Ad fulcienda membra qui datus tibi?

Canesq; pellis? daemonesq; hos subdolos,

Vtrinque lassum qui latenter impetunt?

Hoc est, leuato ad Conditorem pectore,

Precatione uincis omnem feruida

Tentationem, & mentis aegritudinem?

Orare possim qui precor? cum uiuere

EVRIP.

Etiam inter istas tædeat molestias?

Iterq; durum cogat auersarier

Studium precandi, omnemq; sanctimoniam?

Baculus iuuabit iste lassum scilicet,

Cum sit ferenti iam grauis factus quoque.

Vt imbecillem delicate, te facis,

TIMOR.

Aeterna dum consyderare negligis

Tormenta uecors, perpetemq; gloriam.

Tibi factus ergo scipio iste sarcinae est?

Breuemq; tædet sustinere angustiam

Aliquot dierum forsitan uel mensium?

Possis

Possis quietem qua perennem consequi?
 Tristis gehennæ & sempiternos quo modo
 Tolerabis ignes mille cum doloribus?

EVRIP. Vt cantionem semper illætabilem,
 Et ominosam, ductor infelix carnis:
 Tace, quiesce, ne molestus sis mihi:
 Hic nam sedere fixa stat sententia,
 Adsis amicum gratiæ Tempus mihi.

TEMP. Præstaret ultra dum licet procedere,
 Quàm hæere in isto longius confinio:
 Ne te Cupido uersipellis, & Venus,
 (Tentare mentes otiosas qui solent)
 Inebriatum cæco amore fascinent.

EVRIP. Precor abssecunda languido uel tu mihi,
 Tempus benignum: sine, parumper dormiam:
 Posthac licebit alacriores pergere.

TEMP. Si prorsus ergo Euripe uis quiescere,
 Quæramus umbram: lædat æstus ne grauis
 Tenerum cerebrum, aut uentus ullus pestilens,
 His flare quales assolent in finibus.

EVRIP. Antrum ecce opacum delicatæ Acediæ,
 Aptum sopori mentis atque corporis.

TEMP. At istud aris est colubris obuuium,
 Qui dormientes aggredi crebro solent,
 Morsuq; segnes enecare noxio.

EVRIP. Hinc esse nobis spero nil periculi,

Timor excubabit, nec profundè dormiam,
Præcedo: Tempus oro ne me deferas.

Ne fide semper defluenti, ac mobili,
Sum namque uenti flamine inconstantior.

TEMP.

Meliora spero, dulcis inuadit sopor.

EURIP.

Timor hic quiesce, si lubet, Tempus sede.

Venus. Cupido.

Cupido cessas somnolentum, desidem,
Fastidiosum, fraudulentè aggredi?

Pigro sopore dissolutus dum iacet,

Nostriſq; telis maxime est obnoxius?

CUPIDO.

Imò morare dum profundè dormiat,

Desesq; stertat: somnus iste nam cito

A dormientis pectore effugabitur,

Simulatque nobis expedire uidebitur:

Tu fac suavis personet symphonia,

Imbuta mundi uanitate lubrica,

Qua recreatus post excitariet,

Eiusq; dulci rursus hausto spiritu,

Non cassa nostræ tela pharetræ sentiat.

Fac mente quicquid machinaris callida,

VENVS.

Ego quòd me arum est partium, prouidero.

CHORVS PRIMVS

Sapphica.

Si cupis

SI cupis uitam, requiem salutem,
 Si dies lætos, solidamq; pacem,
 Sit Dei tecum timor, excubetq;,
 Omne per æuam.

Hunc dic tecum facias morari.

Hinc per obscuras uigilare noctes.

Hunc in angustiis dubijsq; semper
 Consule rebus.

Sit tibi ductor, comes & magister

Qui tuos gressus, fragilemq; uitam

In uiam pacis, Dominiq; leges

Ducat agatq;.

Explicet sancti bona quis Timoris,

Quo Deum ueri metuum fideles:

Filius charum solet ut parentem,

Filia matrem?

Ille peccati illecebras retundit,

Reprimit carnis stimulos petulcæ,

Inuidos motus domat, ac proteruam

Fortiter iram.

Ille successum prohibet malorum,

Ille uirtutes iubet aggregari,

Ille ccelestes iter ad coronas,

Pandit apertum.

¶ ACTVS EVRIPY II.

Euripus, Timor.

Hui,



Vi, quid hoc est? heic melos quod audio,
A parte læuas q̄ canorum ac tinnulum,
Demulsit aures qualis ob symphonia:

A Egro sopôre pressus ac fastidio,
(Dum me fatigat callis hic durissimus)

Segnis iacebam, ut nec libêret uiuere:

At delibutum nunc repentè gaudijs

Fides canoræ recrearunt sic nouis,

Vt prosilire sim paratus quolibet.

Pergamus ergo, grandis en restat uia,

Laboriosis transeunda nisi bus.

Quid curiosus huc & illuc impudens

Oculis uagaris? nec coerces lumina

A uanitate periculosa, ac noxia?

Morare me parumper, oro, ut calceos

Zonamq; nodo strictiore colligem:

Vt expeditus expeditum subsequar.

Quis nam sed iste tam decorus est puer,

Quem per uireta obambulantiem conspico?

Quàm delicatus, pulcher est & amabilis:

Vix quin salutem continere me queo.

At abstinebis si quid in me uirium est.

Illum sinistro prodeuntem tramite,

Obnubilata mente non consyderas?

Eamus, hîc nam hæerere nequaquam expedit.

Properare quorsum sic necesse est, obsecro,

Cum

TIMOR.

EVRIE.

TIMOR.

EVRIE.

Cum durus arctæ squalleat trames uicæ?
 Prohibens citatis gressibus nos currere.

TIMOR. Quia dum moraris pœnitere serio,
 Arctamq; differs ambulare semitam,
 Dies & anni defluunt uolubiles
 Vlla absque fruge desidi interim tibi:
 Nec aduolare desinit mors indies.

EVRIP. Eamus ergo, si morari non licet,
 Hæreere quamuis hic liberet oppidò.
 Sed ecce, dulcis aduocat nos pusio,
 Iubetq; mota sistere en gradum manu,
 A deoq; ab isto calle gressum flectere.
 Eho, quam amico respicit nos lumine:
 Hæreere cogor, intueri, & colloqui.

TIMOR. At enim uetabo, nec perire te sinam.
 Quid stulte spectas, quo nephas est perfrui?
 Vltrà hic morari neutiquam (crede) expedit.

EVRIP. Heu quam seuerus ac molestus es mihi,
 Vbique uotis durus obsistens meis.
 Nec recreari uel pusillum sustines,
 Fessum ue respirare uel subsistere.
 Sequemur ergo, quando sic uisum tibi,
 Quamquam recusat ægra mens hinc abstrahi.
 Cupido. Venus.

L Ascium iuuenes, & blanda fronte puellæ.
 Florida quos ætas suadet amare iocos,

Ludere

Ludere, nugari, ridere, salire, procari,

Ad me certatim currite turbaleuis.

Diues, inops, proceres humili cum plebe uenite:

Imprimat hæc cordi fœmina uirq; suo.

Donec fata sinunt, dum florida suppetit ætas,

Risibus, & luxu, diffluite, atque iocis:

Ne uos prætereat blandi flos temporis iste,

Vnguento, ac dulci membra replete mero.

Dum licet este hilares: nulla est post fata uoluptas, **VENVS.**

Ne uacui pereant ergo cauete dies.

Viuite securi, petulantes, ambitiosi,

Diffluite omnimodis undiq; delitijs.

Hæc etenim pars est, hæc sors, hæc portio uestra,

Corporis illecebris, lætiniq; frui.

Scilicet utendum est rebus præsentibus, ætas **CVPIDO**

Florida dum inuitat, dum libet, atque licet,

Ecquid opus curis marcescere tristibus, ante

Quam ueniat tremulo curua senectæ pede.

Sponte graues cani properant, ac plurima secum

Tædia multiplici mista dolore ferunt.

Libera fræna proin molli laxate iuuentæ,

Ne uos bis faciat sollicitudo senes.

Proh quale carmen, qualis hæc oratio est. **EVRIPI.**

Quam blandè auaris influunt hæc auribus.

Puero ut uenusto pulchrior pulcherrima est:

Cur tam decoros conuenire differo?

D Tim. Euripe

TIMOR: Euripe, si quid in te adhuc prudentiæ est,
 Mentisq; sanæ: pestilentes haurias
 Ne uanitates, demonum ludibria,
 Oculos & aures claude quæ solubricas.
 Quid uerba tanti pendis ab mendacia?
 Si ueritatem nosse synceram cupis,
 Hæc est eundem, hæc est necesse progredi.

VENVS. Quid Venus & Bacchus, qd̄ t̄pa amœna, sepultos,
 Quid choreæ, & lusus, blâdaq; furta iuuant?
 Quid nemora, & uolucrû catus, quid dulcis Aëdon,
 Oblectant ue senes organa decrepitos?
 Scilicet hæc uestri sunt omnia temporis: ætas
 O iuuenes donec talibus apta uiret.
 Triste supercilium, rugas, frontemq; Catonis,
 Cum tetrica senibus linquite canicie.

CVPIDO. Temporis, ac uite rapidum decerpite florem,
 Nemo sibi quicquam dulce placensq; neget:
 Membra uoluptati iuuenilia tradite, toto
 Pectoris affectu, carnis ad obsequium.
 Quid teneros passim sinitis marcescere flores?
 Lilia purpureis carpite mista rosis:
 Intactum nusquam pratum, uel amœna uireta
 Frondosum ue nemus, uestra libido sinat.
 Undique lætitiæ, memoranda relinquite signa,
 Nec uos sollicitet, spēsue, metūsue alius.
 Nulla refrigerij loca, pœnarumq; supersunt,

Spiritus

Spiritus ut molles transijt in nebulas.

Faceſſat hinc iam terror, & labor grauis,

EVRIPI

Tristesq; curae: quid iuuentam tetrica

Seueritate macero, affligo, neco?

Cum pœnitere lustra post decem queam,

Hominiq; condolere gaudeat Deus?

Idem sed æquus nil inultum postea

TIMOR

Mali relinquet: quid te ipsum perdere

Demens anhelas. Sponte ad Orcum prouens?

Quid te superbis diabolis ludibrium

Prædamq; gliscis sempiternam tradere?

Regale semen cum superni sis patris.

Creatus ac redemptus à uiuo Deo,

Fias ut hæres sempiternæ gloriæ?

Vt cantilenam rancidam semper mihi

EVRIPI

Minimeq; gratam replicas tristis senex:

Quanto tuis sunt gratiora hæc cantica,

Quæ blandus iste præcinit nobis puer,

Ad hunc proinde transeamus ocyus.

Promissa quo iam euauere splendida

TIMOR

Periure miles, principi dudum tuo,

Deoq; facta: perfidis quid hostibus

Confederari quæris heu malo tuo?

Quid sic anhelas conuenire hos transugas,

Qui te perennes ad tenebras pertrahent?

Ductor seuerè, tristis, & inamabilis,

EVRIPI

D ij.

Quid

E V R I P I

Quid arroganter imperare libero
 Ac subiugare quæris inuitum tibi?
 Tace, molestus esse ne pergas mihi.
 Hæc arbitrato namque non fient tuo.

Cupido. Euripus. Timor.

Q Vis iste uili palliastro sordidus,
 Mendicitatis sub pudendo tegmine,
 Qui liberali forma & ore cernitur,
 Facièq; præfert regiam propaginem?

EURIP. Tui decoris, numinis, facundie
 Amator unius, prædicator, affecla,
 Qui totus ardet mancipare se tibi.

CVPIDO. Tunc hic eras Euripe noster? ut lubens
 Agnosco pulchrè cognitum quondam mihi.
 Sed despiciata quid sibi uult penula?
 Baculus, galerus, atque frons subtristior?
 Mendicitate num pudenda ringeris?

EURIP. Bona uerba quæso, nulla me mendicitas
 Hac ueste textit, uiliore aut pileo,
 Titulo sed istis uestior honestissimo.

CVPIDO. Quid ergo: quoquam num peregre cursitas?

EURIP. Imò est amictus iste pœnitentium,
 Quo me peractas monstro culpas plangere
 Mundoq; tanquam mortuus sum, & aduena,
 Sion supernæ ciuitatem quærere.

CVPIDO. Papæ, quid istic audioq; & conspicio?

Euripus

Euripus ergo amictu, honore, gloria
 Nuper refulgens, prolis instar regiae,
 Nunc mente captus factus est cucullio?

Regale germen, putre mendicabulum?
 Abi, uel istud palliastrum rejice,
 Non turpe solum, uerum & inuisum nimis
 Mihi, ac parenti delicatæ Cypridi.

EVRIPI.

Vbi illa quæso, gemma pulchritudinis,
 Amore cuius tactus intus ardeo?

CVPIDO.

Exosauilem cum galero penulam
 Tanquam colubrum, abduxit hinc se murmurans:
 Videnda cum te dignum amictum sumpseris,
 In ueste splendens eleganti, & serica.

EVRIPI.

Ah quid moramur liberare hoc pallio
 Vili ac molesto flaccidum corpusculum,
 Postquam Cupido dulcis hoc suades mihi?

Euripe, quoniam cæce nunc prolaberis?
 Cum morte scædus ergo & atris manibus,
 Inire mentem fascinatus apparas?
 Nec te gehennæ flamma, nec uindex Deus,
 Ab instituta retrahunt insania?

TIMOR.

Vtinam uidere suggerentem pessima
 Hæc perspicaci mente possis quis siet:
 Nec enim decorus, amabilisq; est pufio,
 Sed fraudulentus daemon, ac iurpissimus:
 Vorare captum qui eruentus expetit.

Dij Cupi. Quis

- CVPIDO. Quis iste toruuse est senex & horridus,
 Qui tam se uero te intueitur lumine?
 Turbatq; nostra ccepta, uota, gaudia?
- EVRIP. Hic dux per arctam scilicet uiam mihi
 Imò magister sæuus & inamabilis
 Votis ubique qui meis obstat Timor.
- CVPIDO. Timor, timori uanus est ergo tibi?
 Quid ex pauescis? num flagellis sæuiet
 Velut sæuerus rector in puerum solet?
 Memento quòd te liberum fecit Deus,
 Atque hunc abire si sapias iam iam iube.
- EVRIP. Audis quid iste suggerat doctor mihi?
 Abi, molesto solue nos tandem metu.
- TIMOR. Attendat atque iudicet iustus Deus.
- CVPIDO. Ut cedit ægrè murmurator improbus,
 Euripe, tegmen uile mox hoc abijce,
 Quantoq; uestis ista sit decentior,
 Modisq; cunctis elegantior uide.
- EVRIP. O quàm uenusta, quàm decora, & splendida
 Est uestis ista: nescio quo nomine
 Dignè uocari possit, atque debeat.
- CVPIDO. Mundana nempe pompa & ostentatio est,
 Qua curiosè te decet uestirier,
 Mundo placere, Cypridiq; si cupis.
- EVRIP. Obtemperare sum paratus: accipe
 Mendicitatis hunc amictum sordidum

Cum scipione. palliastrum ignobile
 Mihiq; serua Tempus : effceto seni
 Donec libebit pœnitere serio.

TEMP.

Adseruet ista qui uolet: nulli Deus
 Iniquitati applaudit, aut peccantibus
 Malefaciendi larga præstat tempora.

CVPIDO.

Euripe, mundi nunc amator splendide,
 Depone uilis & galeri umbraculum,
 A sole nullum aut imbribus periculum est,
 Tranquilla cernis, ac serena hic omnia.

EVRIPI.

Spem me superni nunquid adiutorij,
 Galeam salutis expedit relinquere?
 Nudum ne uentis omnibus tradam caput?
 Tentatione circumagendus qualibet?

CVPIDO.

Quos quæso uentos mentis abiectæ times?

Vbique lenes ecce flant Fauonij.
 Age, mos geratur imbecillo uertici,
 Securus esto, non carebis tegmine:
 Cristas iam opinor subleuabis, hem tibi
 Plumis decorum pileum comantibus.

Valeat pudendus hic galerus, & putris
 Isthoc uenustæ per placebis Cypridi.

EVRIPI.

Vt nos beare pergis illustris puer,
 Iam diu pudere uilitatis cœperat,
 In despiciatis ambulans uestibus.

Baculus grauabat anxium cum penula,

D iij.

Eratq;

Eratq; paruo pileus solatio.

CVPIDO. Graui promde liberatus sarcina,
Lepidum galero hoc eleganti uerticem
Festiuus orna, risibusq; diffue,
Ut læta lætum diligit seruum Venus,
Placeatq; comptus comptæ amator Cypridi.

EVRIP. O quàm decorus hic galerus, ac nitens,
Quàm cultus, atque diues est, & splendidus:
Dignus uel ipso te Cupido amabilis.
Sed quod uenusto est pileo nomen precor?

CVPIDO. Animo otiosa dicitur securitas,
Quæ mente suadet libera mundo frui,
De corde pellens anxio omnes scrupulos
Vani timoris, atque conscientie.

Nunc ad cubile florum entum Cypridis
Pergamus isthæc per uireta & flosculos.

EVRIP. Vbi illa quæso commoratur gentium
Venus uenusta, pectoris uotum mei?

CVPIDO. Mundi uirente semper in pomario,
Inter Napeas, Grattias, & Naiades,
Risus, iocosq; mistum odora lilia,
Rosasq; carpens, ad sinistram non procul:

EVRIP. Hoc in uiretum duc precor nos ocys,
Dulcis Cupido: nam cupio uel maxime
Venerem decoram conspiciari & colloqui.

CVPIDO. Sequere ergo nostra cominus uestigia,

Præcedo

Præcedo matris ad cubile floridum.

Euripus. Tempus.

Tempus, sequamur: oro, ne me deferas.

Quaquam sinistro nunc aberrem tramite,

Propono posthac saniora ac spondeo.

Quamdiu placebit sempiterno numini.

Ne me relinquis quæso Tempus nobile.

TEMP.

EURIP.

Confido namq; post amores Cypridis,

Quod corde toto seruiam Deo senex.

Quid si priusquam consenescas fugero?

Auertet istud Conditor spero pius,

TEMP.

EURIP.

Perire nullum qui fidelium cupit.

Nunc obsecunda ad horam amoribus meis,

Calor iuuentæ donec hic deferueat.

Quousque summus tollerabit arbiter.

TEMP.

¶ CHORVS EURIPI II.

Asclepiadæa.



Væ pestis iuueni, quanta lues uiro,

Consultor duplici pectore subdolanus,

Qui blando placidas ore loquens rosas,

Incauto insidias lætiferas struit.

In quod præcipiti non ruit impetu

Mens oblita Dei, flagitium ac scelus?

Si prauus monitor laudibus improbis

Suffundat gelidam sponte furentibus.

Tum quantus luuenes exagitat furor

D V

Effra-

E V R I P I

Effrænes, stolidos, indomitos, leues:
 In quot se miseri præcipitant mala,
 Accensi facibus dum Veneris calent.

Perdunt si quid habent, uel cupiunt boni:
 Se totos uario crimine polluunt:
 Iritant uitij's innumeris Deum:
 Contra se Domini spicula prouocant.

Hinc postquam uitij's aurea plurimis
 Detriuere sacræ tempora gratiæ,
 Heu perdunt miseri cœlica gaudia,
 Torquendi rapidis iugiter ignibus.

Quo demens properas tranite deuiò,
 Euripe instabilis, perfide, contumax?
 Nec cernis laqueos te quibus ad Stygem
 Mox cum prole Venus, subdola pertrahet?

Quàm densis premitur mens tua nubibus,
 Dum credis puerum, stulte, Cupidinem,
 Qui dæmon reprobò de grege pessimus,
 Te blandis satagit perdere fraudibus.

In quantam stolidam mente uoraginem
 Laberis, Venerem perditè ni fugis.
 Tum restat, puteus te super, os suum
 Ut claudat subito funere perditum.

Quid credis uapidæ, cæce, libidini,
 Euripi similis quisquis es improbi?
 Ah nescis misero, parte quot imminent

Ex omni, insidiæ, tela, pericula.

Nespectes gemitus, illecebras, minas,
Lamenta, & lachrymas, oraq; sceminæ.

Nam frons, lingua, genæ, blandaq; plurimum

A nigrofacies pectore dissident.

Hæc si nota salax sunt iuuenis tibi,
Si iuue quid habes experientiæ:

Quin uitæ spatium quod superest breue,
Impendis studijs utilioribus?

Quid lapsus calidistergere fletibus
Cessus præteritos ac prece supplici?

Cordis multiplices cur maculas tui

Luctu continuo radere negligis?

Ecquid lætitia stulte resolveris

Effræni toties? cur tot ineptijs?

Hostes nec fragilem te undique quot petant,

Nec finem trepidus, respicis ultimum?

ACTVS EVRIPI III.

Venus. Euripus. Cupido.



Vid hæc, Timoris comparata dog-
matis?

Valeat seuerus ille, acerbus,
horridus,

EVRIPI.

Mihi q; solebat anxio lapides loq;

At mella sunt hæc, nectar, atque saccarum,

Quæ de labellis profluunt tuis Venus.

Venus

E V R I P I

Venus o uenusta, splendidum mundi iubar.

VENVS. Securusergo Euripe sis, & omnium
Torquere pectus scrupulosum quæ solent,
(Mibi si placere quæris) obliuiscere.
Effunde quidquid gaudiorum concipis.
Nec te moretur ullius rei meus:
Animo obsequaris quin tuo plenissimè.

EVRIP. Merum profectò nectar ista, & Attico
Sunt uerba melle dulciora, spes mea.
Quæ non grauabor diligenter exequi.

CVPIDO. Animo molestum quicquid aut contrarium,
Durùmue sentis, triste, acerbum, rancidum,
Statim reuelle, seduloq; extermina,
Charis, frutillo, tesseris, nugis, mero,
Omn'q; carnis illecebra, & gaudio.

VENVS. Ut per uireta regiae istius uicæ,
(Quæ lata, mollis, florulenta, & obuia est)
Vbique possis diuagari commodè:
Oculis memmo, & auribus nihil tuis,
Ventri, palato, uel negare tactui.

EVRIP. Veteres ualete cum Timore scrupuli,
Tristesq; curæ cum pudore inuili.
Abière tandem, lassitudo, tædium,
Mceror, laborq; & permolestæ angustiae,
Quæ pectus ante lancinabant anxium.
Mibi uita nullum iam parit fastidium,

Videre

Videre quando, conuenire, perfrui,
Te Venus amena, te Cupido amabilis,
Dedit hic beatus corde pacato dies,
Meliore semper annotandus calculo.

Fruamur ergo, Euripe dulcis, iamdiu
Desyderatis osculis, & gaudijs,
Conuiujsq; inebriemur amoribus:

VENVS.

O gemmeorum mellauerborum mera,
Quali repletis mentem amantis iubilo.
Quid te uenusta prædicem Venus mea?
Quid te Cupido delicate? uos quibus
Celebrabo uerbis, laudibus, præconijs?
Istud profectò quod requiris, optima
Venus, est quod ipse postulo ardentissime.
Quin potitatum mox abimus, lux mea?
Scis quàm sit omnis longa amantibus mora.

EURIP.

Verùm fidelis num futurus sis mihi,
Prius necesse est experiri serio.
Terrere sœuit nil amantem, aut frangere
(Sit triste quàmuis, asperum, durum, graue)
Modo assequatur, anxie quod expetit,

VENVS.

Cur ô decora seruu'lo parum tuo
Animo uideris suspicaci fidere?
En sum paratus obsequi iussis tuis
Etiam necesse si foret mox emori.

EURIP.

Rei exigendum est istius periculum.

VENVS.

Respon-

Respondeas mihi liberè quod te rogo:
 Euripe, num formosa, dulcis, elegans,
 Et compra uideor sic satis tibi, ac nitens?

EVRIP. Ex me quid istud obsecro pulcherrima,
 Ac melle quouis dulcior quæris Venus?
 Nulli quod esse prorsus ignotum reor.

VENVS. Nondum quod intus nempe me perspexeris,
 Quibus ue pectus illitum monstris geram.
 Diffibulata ueste sed perfectius
 Nosces, decoro quid tegam sub pallio.
 Quod ex pauescis, miles imbellissime?
 Conspicua terrent spectra amantem tam cito?

EVRIP. Papæ, quid hac sub pulchritudine oculis?
 Portenta quæ sunt ista, tam deformia?

VENVS. Quæ monstra sint hæc, desine admirari,
 Nec execrare, patria ut cad uera,
 Ignota quòd sint, simplicesq; terreant.
 Nam gratiora hæc reddere usus assolet,
 Fieri q; longè mox tibi gratissima,
 Si te fidelem seruum præstes mihi.
 Nunc discite quorum criminum hæc sint symbola:
 Sunt nempe fidæ hæc Cypridis pedisse quæ.
 Mæchia, stuprum, turpitude, amentia,
 Incestus, impudicitia, scurrilitas:
 Scelus Gomorræ seminis profusio,
 Lis, rixa, cædes, luor, æmulatio,

Gulæ uorago, crapula, impudentia,
 Mecum colenda quæ tibi esse uoueris:
 Haberi amator, si fidelis postulas.

Visum quid hoc est imperare Venus mihi?
 Vin has adorem dæmonum laruas truces?
 Auertat à me Conditor tantum scelus,
 Idola cæcus ut colam turpissima.

Ah me quousque stulte non intelliges?
 Adolere laruis thura non præscribimus:
 A te sed ipsas postulamus res coli,
 Ardore mentis, opere, consuetudine.

Contaminari grande ducerem nefas,
 Tot purulentis sordibus libidinum:
 Amare quanquam, potitare, & ludere,
 Feruor iuuentæ concupiscit lubricæ.

Alios proinde quære amores degener,
 Pauideq; miles: non decet te Cypridis
 Amore posthac glorioso perfrui.

Audi uenusta quæso, nec te protinus
 Irata uerbum propter unum hinc proripe.
 Aliunde quære quæ tibi respondeat.

Auertis à me, ô pulchra, cur amabilem,
 Placidumq; uultum? cur decora lumina?

Ah, tam uenustam non decet turbarier.
 Omitte blandus esse: sic lubet mihi.

Ita me superba spernis ergo, & abijcis?

Ego

EVRIP

Ego te uicissim iure floccifecero,
 Vale ut mereris, meq; quum contempseris,
 Alios proterua quære, quos irrideas.

VENVS. Pernice quàmuis aueharis Pegaso,
 Inefficaces curo nil minacias.
 Discede uecors quàm uoles longissimè:
 Namq; hinc uel uno si recesseris die,
 Mox huc recurre: teq; supplex in manus,
 Legesq; nostras nil moratus offeres.
 Spretus rogabis, ad omnia paratissimus,
 Ceruice quæ nunc peruicacire spuis.

Euripus. Tempus.

Abeamus alium Tempus istinc ocyus,
 Postquam superba nos Venus sic despicit.

TEMP. Nimis o libenter: cæterum constatior
 Euripe fac sis, fluctuare desinens:
 Properemus oro, ab his locis discedere,
 Peiora fiant ne prioribus ultima.

EVRIP. Et quò benignum quæso Tempus ibimus?

TEMP. Dextræ petamus semitam rursus uicæ:
 Dum mitis alium gratiæ Tempus tibi
 Ad pœnitendum sceneratur Conditor,
 (Tibi adfuturum forte uix uno die)
 Dum pœnitenti noxius sit quamlibet
 Veniam est paratus, gratiamq; impendere.

EVRIP. Dixti profectò rectè. Idemq; suggerit.

Vicinq;

Vtunque iam purgator mihi spiritus:

Sed hanc amcenam quomodo linguam uiam?

Arctamq; rursus ambulabo semitam?

Aderit uocatus fidus adiutor Deus,

Cuius potenti nil resistit dextræ,

Nec iusta dulcis uota contemnet pater.

Moremur oro, ac differamus o bone,

Tantilaboris arduum negotium:

Donec molestis expedito angustijs,

Dextræ libebit ingredi callem uia.

Magis expediret dum licet procedere,

Hic otiosum quam sedere, & languidum:

Ne mox Cupido uersipellis, ac Venus,

Subuertat omne quod boni iam concipis.

Nihil est pericli, non mouebor ne time,

Mihi nota postquam Cypridis superbia est.

Sedeamus hoc paulisper in consinio,

Hunc ut dolorem, tædiumq; concoquam.

Venus.

Cupido.

VIden Cupido, noster ille amasus

Quantum labore, quid ue secum mus sitet?

Est nota pulchrè illius inconstantia,

Vanoq; quam bene nomini respondeat.

Abiisse iam (ni fallor) illum pœnitet:

Nostriq; rursus factus appetentior,

Amore languet, regredi desiderans:

E

Non

TEMP.

EVRIPI.

TEMP.

EVRIPI.

CVPIDO.

VENVS.

CVPIDO. Non est necesse plura, iam curabitur.

VENVS. Ardere flamma non leui fac perfugam:

Cor flagret illi cum medullis intus,

Amore caeco, & perdita libidine.

CVPIDO. Oleum camino diligenter ingeram

VENVS. Est fraudis in me si quid, aut potentiae,

Sic fascinabo cordis illi lumina,

Vt abdicato, perditoque Tempore,

Iaculo inopinæ mortis ictus occidat,

Omniq; nudus charitate, spe, fide,

Optata fiat præda nostris dentibus.

Euripus. Tempus. Cupido.

Eheu, quid hoc est, quot fatigor prælijs?

In corde quanta sentio certamina?

Voluo, reuoluo, damno, laudo, fluctuo,

Nihilq; firmi, sum potis discernere.

O forma pellax, o decora lumina,

Ouerba quouis dulciora nectare,

Vbi uos reliqui? cur recessi turbidus?

Te quando rursus intuebor, & alloquar

Venusta, dulcis, elegans, pulcherrima?

CVPIDO. Securus esto, mox uidebis quam cupis,

Non absque grandi sed tuo dispendio.

EVRIP. Istis ne longum distrahar tumultibus,

Angustijsq; scrupulosi pectoris?

Iacienda præceps rursus alea est mihi:

Redeamus

Redeamus alnum Tempus, oro ad Cypridem.

Sic ergo tecum Euripe, me uis perdere?

TEMP.

Meliora posthac spero, nunc flagrans amor

EVRIPO.

Parere cogit flammeæ libidini.

Veni, benignus parcat erranti Deus,

Infirmittatis nostræ abundè conscius.

Euripe, quis te casus huc recurrere

CVPIDO.

Deus ue suavit? iam ne cepti poenitet?

An forte spinas inter arctæ semitæ,

Vis ante canos corpore atrito mori?

Abire sanè prorsus hinc decreueram,

EVRIPO.

Postquam immerentem reppulit me Cypria:

Horror sed arcti tramitis mox terruit,

Voluenti amœni nota callis commoda.

O stulte, quanta perdidisti gaudia,

CVPIDO.

Nisi mox redire in gratiam contenderis

Cum delicata Cypride, ac placidissima.

Cur ergo amantem turbulenta reppulit?

EVRIPO.

Tua culpa certè: causa tu diuortij

CVPIDO.

Tibi factus ipsi: dum freio inconstantior,

Ob monstra quædam expalluisti ludicra.

Imò execrari digna iure censui,

EVRIPO.

Quæ Christianis auribus molesta sunt,

Solent nec absque rubore nominari.

Quid Christianos objicis: nomen quibus

CVPIDO.

Inane foetet, res sed ipsæ perplacent.

E ij.

Que.

EVRIP. Quæso patronus sis mihi dulcis puer,
Obtemperare sum paratus in omnibus.

CVPIDO. Securus esto quod petis confecero,
Tantum fidelem te exhibere sis memor.

EVRIP. Pulchram ergo rursus intuebor Cypridem,
Pro cordis illi ardore colloquens mei?
Vix ipse uota mente iam capio mea.

Venus. Cupido. Euripus.

EXpecto anhela, mox Cupido ut aduolet,
Bene est, uolucris gestiens uenit gradu.

CVPIDO. En quod petebas, flagrat, ardet, æstuat,
Tu sic amantem inebria philtris iuis
Ut cæcitate pressus interna, nihil
Posthac malorum perpetrare exhorreat.
Sibiq; claudat ad salutem semitam.

VENVS. Adnitur omni fraude, ui, solertia.
Tu siste nobis deuorandum transfugam.

CVPIDO. Euripe ades dum, salua iam sunt omnia.
Accede supplex, ipsa te Cypris uocat.

VENVS. Ad nos redire quid te adegit obsecro,
Euripe uentis mobilior, et fluctibus?
Cur ad superbam, tam cito reuerteris?

EVRIP. Placare amica supplicanti seruolo:
Et ambientem gratiam ne spreueris.
Habebis obsequentiore in omnibus.
Hanc si mihi unam noxiam remisseris,

Qui credat istud quære, uel qui spondeat.

VENVS.

Mos namq; uobis omnia est promittere,

Vtique uerbis melle dulcioribus,

Amore nostri dum caletis improbi:

Sed exhibere uix soletis guttulam,

Simulatq; primus ardor hic deserbuit.

Ah cur clienti domina diffidis tuo?

EURIP.

Quæcunque danda pœna ob insolentiam est,

Paratus adsum perpeti quæ iusseris.

Hanc expiari quo modo uis noxiam?

Nihil recuso: quin me ipsum in perpetem

En seruitutem sum paratus tradere.

Et si quid ipsa durius præscripseris.

Audis ne mater, hic tuus quid offerat,

CYPIDO.

Et quanta supplex?

Audio: Sed interim

VENVS.

Ignara non sum, Christiana quàm solet

Infida nobis esse plebs, & mobilis,

Fidem proinde det necesse, & munera.

Quod quæso munus, quam dari poscis fidem?

EURIP.

Præibo uerbis congeramq; pauculis,

VENVS.

Nobis quid à te peruelim præstari:

Iurabis ergo te fidelem Cypridi,

Quocunque casu, tempore, ac loco fore.

Et obsequentem iugiter Cupidini,

Nullusq; quod te à seruitute debita

E iij.

Metus,

Metus, pudorue retrahet, quin omnibus
 Vijs, modisq; utrique nostrum obtemperes?
 Hæc si paratus es mihi promittere,
 Pro: ende dextram: hæc exequi fideliter,
 Euripe spondes?

EVRIP. Spondeo.

VENVS. Cedò manum,
 Hæc absque fraude polliceris serio?

EVRIP. Promitto, iuro: plurâ ne istis exigis?

VENVS. Quid uerba profum? danda rebus est fides,
 Amorq; digno comprobandus munere.

EVRIP. A me quid ô Venus uenusta postulas,
 Qui totus esse gestio, atque sum tuus?

VENVS. Hunc nempe dextra quem manu fers annulum,
 Radiante gemma, fuluo & auro diuitem:

VENVS. Quid ingemiscis, atque frontem contrahis?
 Iactura uilis mordet unius annuli?

EVRIP. Non fulgor auri, prima sed mouet fides,

Desponsa qua mens est supremo principi:
 Sapphyrus & quod ista, cæli est symbolum.
 Horûmne phas me prorsus obliuiscier?

CVPIDO. Contenne uana edentularum somnia,
 Si uera quæris gaudia, ac præsentia,

Tuæq; fœlix complacere Cypridi.
 Aliud ne pascis numen, aut cælum miser?

EVRIP. Tibi nil negare stat mihi sententia,

Postquam

Postquam decora figis in me lumina.

Exile munus, diuitem affectum cape,

Et si quid iste seruus insuper potest.

Euge, o triumphis dignè iam Cupidinis, **CVPIDO.**

Lepidumq; seruo myrteo cingi caput.

Nunc esse nosser seruo Euripe incipis, **VENVS.**

Ambire charo non recusans munere

Tuæ fauorem, gratiamq; Cypridis.

Nos te uicissim, amator ardentissime,

Subinde tantis gaudijs explebimus,

Vt nulla cœli cura posthac mordeat,

Desyderatis ebruium complexibus.

Ab quid moramur ergo, mellitissima, **EURIP.**

Quod polliceris experiri plenius?

Quin hinc abimus potitatum, & currimus,

Tam diu cupitis ut fruamur gaudijs?

Hoc in propinquum mox rosetum perginus **VENVS.**

Euripe nosser, ibiq; pergræcabinur.

Sed restat unum quod rogare gestio:

Alatus iste, ubique quem tecum trahis,

Quis est, & unde? scitus ac mollis puer,

Vultu decorus, atque amictu candidus?

Tempus solemus nominare gratiæ, **EURIP.**

Munus benigni Conditoris inclytum.

Tam pulcher ergo cum sit, acer, elegans, **VENVS.**

Hunc expeditum da mihi pedissequum,

E iij. **Serui-**

Seruire nostris possit ut conuiujs,
 Amoribusq; ; ubique & omni tempore
 Mibi seruus uni. Quid taces & ingemis
 Periure miles? territus quid fluctuas?
 Promissa mendax siccine imples splendida?

CVPIDO. Puer ne tanti est hic tibi uilissimus,
 Nihili iuuentus aestimare quem solet,
 Caussa q; (tanquam permolestum) ex qualibet
 Fastidiosè eliminatum perdere.

TEMP. Euripe, summi plasma Regis indytm,
 Tam pestilenti, iam caue consentias
 Suggestioni : ne salutis ianuam
 Tibi ipse claudas, in profundum corruens
 Iniquitatis cæcæ, & insatiabilis.

VENVS. Quid iste nugax machinatur flagrio?
 Quem mox docebo musitare, & obloqui.
 Euripe, munus das petitum, an rennuis?

EVRIPI. Heu me, quid istum blanda deposcis, Venus?
 Emancipare quem nephas existimo.
 Magno futurus quod sit usui mihi,
 Cum pœnitentis arma sumam languidus.

VENVS. Quam stulta mentes sæculares occupat
 Plerumq; (nostris fraudibus) persuasio:
 Ut arbitrentur (quamlibet uiuant malè)
 Amarae in ipsa mortishora, gratiam
 Se consecuturos, poli q; gloriam,

Modò

Modò ingemiscant ante mortem uel semel,
Peccare quando non licebit languidis.

Fallatur ergo stultus hic mendacijs,
In ueritate qui manere noluit.

CVPIDO.

VENVS.

Euripe, quanquam iure possim conqueri,

Expostulare, & imperare, te precor,

Si pusionem mancipare hunc perpeti

Nostræ recusas seruituti: at commoda

Saltem diebus pauculis, & obsequi

Compelle nostris diligenter amoribus:

Ego me uicissim dedicabo sic tibi,

Euripe dulcis, elegans, pulcherrime,

Venere ut fruaris liberè ac plenissimè,

Multos per annos, lustramulta, ac sæcula.

Habeant sua sibi regna, fasces, purpuras,

EVRIPI.

Gaſasq; reges: cœlitesq; sydera:

Modò Venus alma perfruar te liberè,

Amore cuius æstuo medullitus.

Accede charum Tempus, ut pulcherrimæ

Dominae obsequaris, quicquid imperauerit.

Gratum uenustæ te exhibens pedissequum.

Euripe demens, quo feraris prospice.

TEMP.

Ego iam ne scortis seruiam, ac libidini

Datus ad salutem, & pœnitentiam tibi?

Ah cur tonantis maximi, grauissimum,

Iustissimumq; in te furorem prouocas?

E v Ven. Quin

VENVS. Quin destinatas ad rosas & lilia,
 Unguenta, lectos, pocla, nectar, pergitus?
 Euripe, eamus. huc ades pedisseque,
 Meoq; postquam mancipatus usui es,
 Dominae memento diligenter obsequi:
 Nam murmurando (crede) nil profeceris.

TEMP. Donec iubebit me Creator omnium
 Euripo adesse, illi necesse est seruiam:
 Impune sed me nemo abuitur tamen.

VENVS. Tace, nec ultra murmurator obstrepe,
 Placidum & benignum numen est homini Deus,
 Parcens libenter plasmati mitis suo.
 Euripe, nostram cum cubili regiam
 Laetus subintra, teq; da totum mihi,
 Hic te beatum reddet optatus dies.

¶ CHORVS TERTIVS.

Iambici Trimetri cum Dimetris.

A Deste quotquot de ruina proximi
 Floratis, ingemiscitis:
 De caecitate plurimorum flebili
 Tristem canamus naeniam.
 Quem Christianum ad lacrymas non prouocent
 Tot damna spiritalia?
 AEtatis ipso in flore, quam multi cadunt,
 Qui non resurgunt amplius?
 Peritq;

Peritq; Christi sanguis in quàm plurimis,
 Nominetenus fidelibus.

Heu quàm profundam se iuuentus improba
 Demergit in uoraginem?

Dei timore dum repulso, crapula
 Inferuit, & libidini.

Quot caeca semet ingerit periculis,
 Amore carnis aestuans.

Nil tam pudendum, noxium, scedum, graue,
 Tentare quod non audeat.

Et mille quanquam mortibus dignissima,
 Secura carpit gaudia.

In omne demens nequiter scelus ruit,
 Rebus secundis ebria.

O lachrymandam cæcitatem mentium,
 O pectoris uecordiam.

Sic tempus alium dissipatur gratiæ,
 Venere, fruillo, poculis.

Sic forma, uires, mens, iuuenta, industria,
 Factis nephandis seruiunt.

Impenitentes sic tenet damnabilis
 Cæli, Deiq; obliuio.

Sed nulla pestis ita iuuentam funditus
 Corruptit, urit, enecat,

Vt blanda, pellax, compta, duplex, perfida,
 Et impudica scemina.

Quæ

E U R I P I

Quæ uerba mellè dulciora dum rotat
 Et mente, & ore subdolo,
 Cor audientis, igne adurit impio,
 Iecur sagitta transigens.
 Aspectus eius ut uenenum Reguli,
 Animam sine mora interficit,
 Virumq; (quàmuis masculino sit pectore)
 Eneruat omni robore
 Quem fascinatam subdolis sermonibus
 Ad se dolosa pertrahit.
 Et amore cæcum, cogit obbrutescere,
 Nihilq; pensi ducere.
 Donec cruentæ mortis ictus spiculo,
 Subitò in gehennam corruat.
 Euripus istud exitu uerum suo,
 Mox comprobabit improbus.
 Qui uilis instar bestiae cum uixerit,
 Carnis sequutus impetum,
 Hæres tenebit iugis æternos focos,
 Damnationis filius.
 Quàm infaustus ille (quisquis est mortalium)
 Cui talis instat exitus.
 Væ uæ, supremum non timentibus diem,
 Iramq; uindictis Dei:
 Qui gloriantur & insolescunt nequiter,
 Impunè dum malefaciunt;

Quum

Quum sit uoluptas ipsa uix horaria,
Aeterna quam mors excipit.

Ah, quæ tenebræ, quanta nox, & cæcitas,
Hinc posse cristas tollere!

ACTVS EVRIPI III.

Venus. Cupido.



Ollega dormis? acriter fac ex-
cubes,
Ne fortè nostros, spiritus de
corpore
Egressus, unguis possit ulla eua-
dere.

Iam finis instat, mors amara in limine est,
Sumptura pœnas: pruriunt dentes mihi.
Hanc quando prædam uterque deuorabimus.

Animo quiesce, quid times periculi?

CUPIDO.

Cœli, suiq;, & Conditoris immemor,

Amore cæcus, ebrius libidine,

Iacet sepultus mole consuetudinis.

Euadet ille quo modo nostras manus?

Quem tot malorum prægrauatum sarcina,

Vino æstuantem, marcidumq; crapula,

Incogitantem, sæua iam mors opprimet.

Crucifixus hunc nec ipse nobis auferat,

Tam multifario iure Auerno debitum.

At scis, ut idem sit potens, ac prodigus,

VENVS.

In pœ-

In pœnitentes ultimo uel halitus:

Et mater eius Tartaro infestissima.

CVPIDO. Oh, quam fefellit uana spes hæc plurimos,
 Nostrosq; fecit: diu latronus dexteri
 Sibi blandiuntur singulari munere;
 Mox sicut ille subuolare ad sydera
 Existimantes, unico suspirio,
 Breuiq; uerbo, quamlibet uiuant malè.

VENVS. Vigilemus ambo diligenter atramen,
 Ne fortè acerba sternitur dum cuspide,
 Christi repente uersus ad clementiam,
 Crucemq; ploret, ingemiscat, eiulet,
 Nostrisq; uel tunc eruatur faucibus.

CVPIDO. Euadat ille tam scelestus, ac puris,
 A se Timorem qui salubrem reppulit?
 Ac spem superni stultus adiutorij?
 Regiq; frangens debitam suo fidem,
 Seruire Tempus gratiæ, libidini
 Suae coegit? ebriosus, aleo,
 Scortator, iste qui quæat seruariæ?
 Potius flagellis Lucifer nos igneis
 Discerpat ambos, iste quam nequissimus
 Emergat unquam, gratiam uel impetret.

VENVS. At nos inanes distinent dum fabulæ,
 Mors ecce frendens in theatrum profilit.
 Age properemus, diuidentes munera:

Ego

Ego hinc resistam, ne qua spes ad languidum

Intrare possit, pastor, aut fraterculus:

Tu, à dormientis ne grabato abscesseris,

Tacitus sed istic excuba, usque ad ultimi

Luctam duelli, cordis ante lumina,

Illi uolumen æstuantis hoc ingerens:

Scelerum ut suorum fasce percussus, Deo

Diffidat, omni spe salutis perdit.

Vigilemus ambo, nostra dum messis uiget:

CVRIDO.

Videamus, illi uana quid proffit fides,

(Qua gloriantur improbè nunc plurimi)

Christiq; nomen absque factis congruis.

Quid item uoluptas, fastus, atque cupiditas,

Quæ longè amauit, quàm Deum feruentius.

Mox nosmetipsos huic gehennæ filio

Hostes apertos, ac truces monstrabimus,

Quos fraudulenter blandientes audivit.

Mors.

Pestis.

V Regbit hora quum statuta singulis,

Ab orbis almo Conditore, ac præside,

Omnes choream uos necesse est ultimam,

Mecum absque cantu fistulâq; ducere:

Ego mors (quid ipsam proloqui rem differo?)

Cuius pauendum nomen omnes territat:

Trepidare cogit, sed malos potissimum.

Ego mors superba principatu nobili,

Super

Super monarchas, Cæsares, & Principes,
Reges, tyrannos, præsides, antistites.

Ego mors amara, sæua, formidabilis,
Minax, seuera, tristis, implacabilis,
Quæ parco nulli, quisquis est mortalium:

Formido nullum, blandiorq; nemini.

Vitam sed æqua lege cunctis aufero,

Simulatq; summus Imperator iusserit.

PESTIS. Probabis istud esse mox uerissimum

Euripe uecors, insolens, incurie,

Longè alia quàmuis dormiens nunc somnies.

MORS. Ego mors ob Adæ noxium mor sum, truci

Morsu nepotes eius omnes mordeo:

Multam parentis exigens ab omnibus,

Quotquot fuère, sunt, eruntq; posteris.

Ego mors, repente quæ supinos opprimo,

Animamq; cogo prosilire ex corpore,

Quàmuis ualente, succulento, uiuido.

PESTIS. Id me frequenter uindictis iussu Dei

Trepidum per orbem sæuiente innotuit.

MORS. Ego mors amore, mors fauore libera,

Nec arma curans, nec preces, nec munera;

Prohibere nemo quam potest mortalium;

Stato reposcam quin meum ius tempore:

Annosa sicut monstrat experientia.

Tempus. Mors. Cupido. Pestis.

Labore

L Ab ore fessum seruitutis improbae,
 Prodire mortis ad nonet uox horrida:
 Spero iubebit me breui hinc discedere,
 Posthac fideli, ac iustiori ut seruiam.

Hæc ipsa uobis nota mortales licet.

Crebrisq; pulchrè sint periculis cognita,
 Factis negatis attamen uos credere,
 Tam criminosi, tam scelesti uiuitis:
 Faciam proinde notius quod assero,
 Indormientem dum uagæ libidini,
 Hunc ganeonem nil morata oppressero.

Heu plasma summi Regis olim nobile,
 Illustre semen Conditoris omnium,
 Quibus inquinatum fecibus nunc hic iaces,
 Fetore putens crapulæ ac libidinis.
 Hei quanta clades dormienti, quæ lues,
 A mortis instat horridæ pedissequa?

Hic te apprehendo sordido in gurgustio,
 Factura magni Conditoris incluta:
 Hæres futura sempiternæ gloriæ,
 Perambulasses dexteram si semitam:
 Nunc mortis autem, Tartariq; filia,
 Dum plus futuris diligis præsentia.

Euripe dormis? uanitate sæculi
 Inebriatus, ac tot obsitus malis,
 In morte faxo mox perenni obdormias.

F Ab,

MORS.

TEMP.
 Lamentabis
 iter.

MORS.
 ferociter ut
 omnia.

TEMP. Ah, cæca quali nocte mens est obruta,
 Dei, suiq; facta prorsus immemor!
 Sed fascinatam falsa quam suauitas
 Effceminauit, inquinauit, perdidit,
 Mortis cruentæ dira mox uexatio
 Sentire coget, quod cauere noluit.

CVPIDO. Opera ista nostra, nos ad hanc uecordiam,
 Ac cæcitatem mentis, hunc perduximus:
 Nostrum proinde trade nobis militem,
 Et morte dignum duplici, Mors, eneca.

MORS. Tibi mos geretur (nam quod æquū est postulas)
 Vbi fila Parcæ legerint fatalia:
 At nunc priusquam hunc carne soluan noxia,
 Præcurre morbos inter omnes, unicè
 Dilecta nobis, Pestis inguinaria,
 Tristiq; profer de pharetra spiculum,
 Letale, pernix, acre, limatissimum,
 Quod sic nepotis ura huius intima,
 Mihi mox regressæ pendat ut ius debitum.

PESTIS. Hera nil morabor, quod petis curabitur,
 Pestis. Euripus. Tempus. Cupido.

E Vrîpe, tandem dormiendi sũ modus,
 Lasciuendi, potitandi: nam tibi
 (Vitæ peracta corporalis fabula)
 Hoc exeundum de theatro est ocys.
 Iam somniatum plus satis: mors aduenit,

Peccata

Peccata clamant, ultionem exigunt.

Instant cruenti daemones, Christus iubet.

Lethalis ictum morbi acerbum suscipe.

Hei corpus intus quomodo immutariet,

Ardore febris pestilente sentio.

Inuasit ægrum quis tremor? quæ angustia?

Horrore mortis commouentes uiscera?

Hui, tibi quid, Euripe, contigit noui,

Languore totus quod fathiscis pessimo?

Caput grauatur mole quanta languidum?

Vomitu leuare nauseam cogor graui:

Vnde iste (miror) casus euenit mihi,

Sopore longo cocta quum sit crapula.

Quia ebibisti delicatam scilicet

Iam potionem, & efficacem, & feruidam:

Quæ ui potentis pharmaci, te protinus

Animam nocentem coget eiacularier.

Præstat repente confoueri lectulo,

Si mitigari possit insuetus dolor.

Sed triste quidnam uult sibi silentium?

Vbi Venus & Cupido, scorta & pocula?

Vbi combibones, ac iuuentus lubrica?

Hic solus ergo, derelinquor ab omnibus

Notis, amicis, proximis, æqualibus?

Ab spiritali nuda pulchritudine,

Mens cæca, quantis es tenebris obruta?

EVRIPI.
ecpiscens
& attonis
tus.

PESTIS.

EVRIPI.

TEMP.

F ij. Quæ

Quæ carnis atque sæculi sunt cogitans,
 Cum sis gehennæ faucibus iam proxima;
 Quin hoc amaris stulta defles lachrymis,
 Inimica summi quod tonantis, hinc statim
 Rapiaris, illius ad tribunal iudicis,
 Qui cuncta nouit, nilq; inultum præterit.

EVRIP. Heu quàm repente uersa sunt nunc omnia:
 Ingens uoluptas, in dolores maximos:
 Risus, iociq; tristitia in suspiria:
 Tranquilla acerbos in metus securitas.

Hei quid futurum, siccinæ affligar diu?
 Per prata rursus quando curram florida?
 Diesq; luxu, poculisq; itansigam?

TEMP. Pro, quanta cæco uanitas in pectore,
 Instante mortis adhuc agone permanet!
 Quin ingemiscens eiulansq; hoc cogitas
 Euripe, sit ubi uestis innocentia?

Qua te lauacri per potentis gratiam,
 Speciosus ille sponsus exornauerat.
 Ah, quale passus, stultie, tunc dispendium es,
 Hanc perdidisti nuptialem cum stolam,
 Sine qua superni Regis es conuiuio
 Indignus: Agni nec fruere nuptijs.

CVPIDO. Hæc nostra fœlix præda iam pridem fuit,
 Abstulimus omnia qui monilia improbo.

TEMP. Quàm uilis, inconsulte, factus es nimis:

Timere

Timore pulso, prostituto Tempore,
 Te spontè iradens hostibus teterrimis:
 Tibi abstulerunt dona qui ditissima,
 Metuon pudorem, charitatem, spem, fidem,
 Omniq; nudum reddidère gloria.

Heu quis ægris ardor in uenis furit?

EVRIPI.

Flaccesco totus, totus intus ardeo,
 Nimiaeq; pectus strangulant angustiae,
 Par esse tantis non queo ultra incendijs,
 Ad cordis arcem permeante iam malo.

Vah, credula & caduca spes mortalium,

TEMP:

Quam fraudulentè plurimos nunc decipis?

Heu, quò iuuentus insolens euauit?

Quò robur acre & spiritus sublimitas?

Decorq; fallax corporis pulcherrimi?

Exanguis ecce membra pallor occupat,

Exhausta morbi unius horæ ardoribus.

Virtutis hæc est summa nostræ gloria,

PESTIS.

Qua corpus & cor frangimus mortalium.

Scelerata Pests, dira, sanguinaria

EVRIPI.

Quid in iuuentam sic cruenta perfuris?

Senes nec istos iam sepulchro proximos,

Cadauerosis antè membris exuis,

Quibus onerosa est uita plena doloribus.

Notate cæci quæso carnis amasij,

TEMP:

Censura summi quam sit æqua iudicis:

F ij. Scelestus

Scelestus iste nunc sui obliuiscitur,
 Damnationi proximus & impoenitens,
 Robustus olim qui ualenti corpore
 Oblitus est auctoris ingratus sui.
 Leue placidumq; ferre pertæsus iugum,
 Dulcisq; Iesu legibus se subdere:
 Sanctisq; nolens legibus se subdere.

PESTIS. Feret proinde uincla Ditis ignea,
 Imam retrusus in cloacam Tartari.

EVRIP. Quæ Lerna adustis scēuit in præcordijs,
 Exhausta flammis membra torrens impijs?
 Hinc inde quantum tubera & carbunculi,
 Glandesq; torquent æstuantem feruidæ.
 Quid hoc, quod æger halitus me deficit?
 Erumpit unde sudor iste frigidus?
 Sunt dira mortis nunquid hæc præfagia?
 Potest iuuentus multa sed fortis pati,
 Nec tam repenti spero, succumbet neci.

PESTIS, Spiritus anhelò erumpit ægrè à pectore,
 Oculi, genæq; concidunt, nares rigent,
 Vitæq; cuncta adesse finem prædicant.
 Morti proinde hæc nuncianda sedulo,
 Exile stamen uitæ ut ipsa dissecet.

Mors. Pectus.

E Cquid moratur Pectus ad me regredi,
 Ab hoc tributum pestilente ut exigam?
 Domina

Domina peregi strennuè quod iusseras.

PESTIS.

Igitur scelestus ille iam paratus est,

MORS.

Legale nobis debitum persoluere?

Accede quando collubebit: nam leui

PRSTIS.

Ictu, manuq; languidum confeceris.

I præ, citatis consequar mox gressibus.

MORS.

Euripus. Pestis. Cupido. Tempus.

Heu me, quiete perfrui nulla queo

Exhaustus ægrū corpus igne hoc pessimo,

Nec magna restat spes salutis languido.

Grassante morbo cordis in uitalia.

Maledicta pestis, mēne compelles mori

Iuuentæ in ipso flore tam crudeliter?

Rictu ferus, te Cerberus deglutiat,

Immitis, atrox, impudens, uenefica.

Conuiciare, tumultuare, clamita,

PESTIS.

Quantum libebit ac licebit improbe.

Nam mox quiesces totus ac domabere,

Dignasq; nobis morte iam pœnas dabis.

Salutis ergo nulla spes ostenditur?

EURIP.

Nec liberare morbidum quisquam potest,

Ab execrandis Pestis atræ incendijs?

Poterit sed istud quo modo cor emori?

Eheu meatus uocis intercluditur:

Vix pauca possum uerba anhelans proloqui.

Extremus instat nunc agon, nam spiritus

CUPIDO.

F iij.

Et

Et ægra uox, magis magisq; deficit:
 Est iam mearum partium catastrophæ
 Desyderatam, ludo amœno imponere.
 Ipsum proinde me scelesto ostendero,
 Vultu feroci serio, ac Satanico.

EVRIPI. Heu quæ tenebræ, quantus horror irruit:
 Quæ punctiones cor fathiscens lancinant:
 Ah flos iuuentæ, iamne compellar mori?
 Blandumq; quicquid fuit, & est, relinquere?

O dulce lumen, iamne cogar emori,
 Qui multa lustra adhuc putabam uiuere?
 Heu uita fallax, quo modo breuissimi
 Euaniisti prorsus instar somnij!

Valete blandis cum iocis & osculis,
 Lus, amores, combibones, pocula,
 Mundusq; dulce quicquid iste continet.

CVPIDO. Ergo otiose adhuc lubet nugari?

Alia urget ecce res agenda serio:
 In hoc studendum est iam tibi uolumine,
 Quod negligenter hæctenus scrutatus es.

EVRIPI. Atat! draconem hic conspicio teterrimum,
 Qui me uorare gliscit atris faucibus,
 Volumen ingens explicans, in quo meæ
 Peccata uitæ scripta totius tenet.

Hei, quo reflectam corpus, hunc ne conspicer?

CVPIDO. Sperare quid uis? non mereris gratiam:

Agnosce

Agnosce quanta feceris miser mala.

Quid membra grandi cum tremore, lectuli

Ne quicquam ad omnem palpans partem rapis?

Quid clausa frustra flectis à me lunina?

Veni, memento iam diu quòd noster es.

Hei, quàm mihi præsens adest periculum:

EURIP.

Quàm triste monstrum, quàm cruenta bellua;

Vtinam camino uel recondar flammeo,

Modo ne draconem hunc cogar inuener.

Maledicte, uilis, reprobande spiritus,

CVPIDO.

Properanter ad nos quid moraris egredi?

Veni, uel istis extraheris unguibus.

Despero iam, despero, ne me ultra preme,

EURIP.

Tibi me uorandum liberè mox offeram:

Scelerum meorum mole nam pressus graui,

Diffido posse consequi indulgentiam.

Vae tibi proinde uilis ac miserrime,

TEMP.

Vitæ quòd unquam spiritum receperis:

Ingratæ plagis Christi IESV ac sanguini.

Mors. Tempus. Euripus.

EXtremus horæ punctus instat ultimæ,

Transire nulli quem licet mortalium.

Vbi est prophanus ille mortis debitor?

Mors appropinquat, cogar hunc relinquere,

TEMP.

Virtute nudum, destitutum gratia,

Totumq; scedis inquinatum sordibus:

F v. Fretus

Fretus iuuentæ qui fugacis robore,
 Adhuc putabat uiuere annos plurimos:
 Quàm fluxa spes & uota sunt mortalium.

MORS. Discede Tempus à nepote hoc puero,
 Veneri coegit obsequi qui te suæ;

A seruitute te pudenda liberat
 Summus Monarcha, cede, da locum mihi.

TEMP. Euripe, dira nunc tibi nox imminet,
 discedens. Cum Tempus à te gratiæ subducitur.

EVRIP. Heu me, quò orbem cogor hunc relinquere,
 Quò post pusillum abiturus hinc sim nesciens.

Iuuenile quanto cor pauore stringitur,
 (Ac si molares comprimant illud duo)
 Aeterna dum nunc intuetur sæcula,
 Quæ præuidere hucusque demens noluit:
 Hei mors amara, sæua, tristis, horrida.

MORS. Orco licebit hanc quærelam exponere:

Nunc digna sume criminum stipendia:

Euripe, Tempus gratiæ iam euanuit,

Vitalis humor cum calore exhaustus est:

Decede uita, noxa adest, lux occidit.

Lethalis hæc te plaga corpore exuat.

EVRIP. Natura uicta est, mens hebet, cor deficit,
 moriens. Sic mors amara stringis, urges, strangulas?

I Cupido. Venus.
 O triumphe: uah doli & fallaciæ,

Suggestiones subdola, ac mendacia,

Quibus tot Orco Christianos tradimus,

Io triumphæ: gloriosè uicimus:

Optata crebris præda uotis obtigit.

Collega nequam, quid moraris? aduola,

Animam scelestus iste tandem reddidit.

Adsum paratus mortuum discerpere,

VENVS.

Sæuire flagris, igne, morsu, & unguibus,

Euge, euge, dereliquit hunc iustus Deus:

Deditq; nostris deuorandum dentibus.

Age, exigamus debitas ab improbo

Lurcone pœnas, uapulet durissimè,

Grauibus flagellis, plaga & insanabili,

Hinc in profundum detrahetur Tartari.

Sed antè uindictis colligetur igneis,

CVPIDO.

Irrideamus ut ligatum liberè.

En qualem amicis reddimus nostris uicem,

VENVS.

Simulatque plena contigit uictoria!

Nonne absque mente sunt & insanissimi,

Quicumque nostris se capi dolis sinunt?

Mors. Pests.

OPus peractum muneris nunc est mei,

Exangue corpus foetidumq; humi iacet,

Breui futurum putris esca uermium:

Animam cruenti uendicant sibi canes,

Rapiunt, trahuntq; cum furore & lancinant.

Hæc

Hæc non uidetis homunciones improbi?

Nil uos scelesti terret huius exitus?

Similemq; finem nemo formidat sibi?

PESTIS. Leuiter mouentur scilicet periculo,

Flagroq; solis hauriunt quod auribus

Oculisq; donec nil mali ipsi sentiunt:

Ego sola penè sum timori incredulis,

Sæuire totam cum per urbem quampiam

Ardore diro, & strage multa cepero:

Tunc mors imetur, supplices tunc ambiunt

Meu coacti uindictis pacem Dei,

Ad mitiora qui flagella dormiunt.

MORS. Ridenda sanè reproborum cæcitas,

Quasi mille non sint tæla mihi certissima,

Quibus oscitantes tollere usque sueuerim.

Sint ista uobis ergo quam nonissima

Homunciones imbecilli, ephemeris,

(Exempla quippe quorum ubique plurima,

Modo non diebus singulis sunt obuia)

Quæ tantæ cæcos possidet securitas:

Ut ganeones, ebriosos, impios,

Molles, superbos, inuidos, adulteros

Ex Christianis opprimam quamplurimos:

Ipsosq; quo iam transeundum hinc tempore,

Baccho litantes: nec secus pecuniæ

Studio occupatos, deducosq; amoribus,

Ac si

Ac si à tributo mortis essent liberi?

Quia corde toto effusi ad ista terra,

PESTIS.

Carnisq; curam, & uanitates noxias

Meminisse nolunt heu quot in periculis

Damnationis iugiter uiuant suæ:

Quæ si uiderent, seduloq; expenderent,

Aliam salutis curam haberent propriae.

Vah cæca, surda, & infidelis natio,

MORS.

Quæ penè solo Christiana es nomine,

Cur ultionem uindictis duram Dei

Nunc providere negligis, & euadere?

Donec benignus hic pater te sustinet,

Tribuitq; larga ad pœnitendum tempora.

An fortè nostra non pauescis spicula,

Patienter ille quòd malignos tolleret?

Ecquid putatis improbi, atque increduli,

Possitis istas quòd manus euadere?

Ad uos uenire differam quòd longius?

Veniam profectò qua die non creditis,

Atræue noctis horrido in silentio.

Veniam (pauete) tempore incertissimo:

Sicut profunda nocte fures assolent.

Et dum uidebor adhuc abesse longius,

Incogitantes, imparatos, opprimam.

Istis profectò uerius nihil minis:

PESTIS.

Euripi

Euripi acerba mors abunde ut indicat:
 Similem proinde metuat exitum sibi,
 Vitijs eisdem quisquis est obnoxius.

MORS.

Beatus ergo, me locis in omnibus
 Quicumque alacri spiritu expectat: uigil
 Rigidusq; cordis lubrici atque sensuum
 Custos suorum: ex intimis prae cordijs
 Timens, honorans, diligens Deum suum:
 Illi secunda mors nocere non potest.

¶ EVRIPI CHORVS III.

Asclepiadæa.



Vae mentes hominum, q̄taq; nox premit,
 Quam cæci, stolidi, quam miseri sumus,
 Tam raro memores ex animo ultima
 Horæ iudicij, & flammivomæ Stygis.

Obliti superum mortis & inferum,
 Nugamur posita sollicitudine:
 Largita ad meritum tempora gratiæ,
 Ludis, nequitia, perdimus ac iocis.

Accensi rabie non satiabili,
 Nullo congerimus sine pecuniam:
 In summis inopes diuitijs tamen,
 Nunquam desinimus plura requirere.

Captandis avido pectore honoribus
 Intenti, appetimus grandia munia:

Vt clari strepitu nominis inclyti,
Pascamur sonitu præcipitis Noti.

At nos dum Venerem, pocula, gloriam
Sectamur cupidi, dum bona plurima:
Incautos rapido mors sequitur gradu,
Quæ nos spe citius sternit & enecat.

Væ qui iudicij non metuumt diem,
Addicti studijs pectora friuolis.
Væ quos hinc rapiet mors subitanea,
Immersos Veneri, delitijs, mero.

Expectat miseros mors etenim altera,
Quæ nullo inueniet tempore (pro dolor)
Finem uel requiem: sed reprobum gregem,
Coget perpetuis uiuere in ignibus.

Fundamus lachrymas, ac gemitus precor,
Fratres si sapimus, crebrius & grates:
Tam grandis pauidi mole periculi,
Quod multis hominum millibus imminet.

Mors, quæso, doceat nos miserabilis
Euripi, sapere ac prospicere ocyus
In uitæ maneat sine quot impios
Pressuræ, stimuli, prælia, uerbera.

Nam qui nunc refugit mente reuoluere
Impendens animæ iudicium suæ,
Nec ponit grauibus criminibus modum:
Hunc tandem horribilis perditio opprimet.

ACTVS

Anima Euripi.



OEda, execranda, & omnium
miserrima

Vixere quotquot in caduco cor
pore.

Quò sum redacta, quidue pri-
mum conquerar?

Vbi sum? uel unde lapsa in has angustias,

Quas nulla plenè lingua posset eloqui?

Incogitanti quid malorum contigit?

Quis credat unquam? imaginari uel queat,

Aut suspicari, quos dolores perferam?

Timor, tremorq; exæstuantis Tartari

In me repente deciderunt anxiam.

Ah, quid futurum, uel quid accidit mihi?

Quòd asto nuda, uincta, foetens, horrida,

Confusa, micrens, ac malis plenissima.

Nunquid furentis iam gehennæ carceri

Sum destinata, nulla spes ut sit super?

An forte pressa febre dira, somnio

Vt frementes assolent phrenetici?

Aliena sæuus cogit heu dolor loqui.

Nam uincit omne, pœna quam nunc perfero,

Humani acumen spiritus longe ac fidem.

Ah, cur apertam ueritatem supprimo?

Ad iudica-

Adiudicata Tartaro miserrima,
 Damnata sum, damnata sum, damnata sum,
 Nec spes salutis ulla restat amplius.

Heu cur supremus me Monarcha condidit?
 Christus redemit, tinxit, unxit, abluvit,
 In igne cogar si perenni uiuere?

Quid CHRISTE prodest passio mihi tua?
 Orbata quum sim uisione, patria,
 Hereditate, adoptione, gloria:

Et in gehennæ sit necesse stridulis
 Posthac morari perpetim doloribus.

Cupido. Anima. Venus.

C Vr hanc scelestam (quæso te) permittimus
 Sermocinari, ac feriari tam diu,
 Tormenta uterque digna quin infligitus?

Morare quæso, ut ore se damnet suo,
 Sibiq; luctum conquerendo exaggeret.

Heu me quid egi stulta, quam demens fui,

A me Timorem dum magistrum reppuli,
 Ultrò regendum me offerens Cupidini?

Vah spurca, mendax, foetida, execrabilis
 Dulcedo semper famelicæ libidinis:

Ad quas misellam duxti amaritudines:

Hæc si ante mortem cogitasses sedulo,

Elapsa nostras forsitan manus fores.

Hei contremisco tota, ringor, horreo,

G Dama-

VENUS:

ANIMA:

CUPIDO:

ANIMA:

EVRIP I

Damnationis dum meæ sententiam
 Tristem reuoluo, prorsus immutabilem.
 Ah, lachrymosa, & sensibus mortalium
 Incomprehensa incendiorum æternitas,
 A Eternitas, æternitas, æternitas,
 Quo me dolore exulceratam lancinas?
 Veniæ impetrandæ nulla cum spes sit mihi,
 Aut mitioris (pro dolor) sententiæ:
 Hei, sustinebo quo modo grauissimas
 Flammæ gehennæ exæstuantis iugiter?

VENVS. Demersa in imam Tartari uoraginem,
 Lucan esse disces passa quicquid es hætenus.

ANIMA. Heu, quòd irementem, quæue gressum dirigam?
 Constrictæ auinclis (pro dolor) fortissimis
 Scelerum meorum: quid miserrima faciam,
 Possim cruentas ut manus euadere,
 Unguesq; ciruos daemonum rapacium:
 Caliginosum qui uolant per aëra,
 Sicut per æstum muscæ, apesq; stridulæ?

At at, sequuntur hic duo teterrimi,
 Mihiq; diris heu minantur iugulis.
 Hei, quàm feroci me intuentur lumine,
 Oculosq; torquent in pauentem flammeos:
 Utinam dehiscaat terra, meq; absorbeat,
 Hæc ne uidere monstra cogar horrida.

CVPIDO. Alumna noctis, Ditis atri filia,

Hæres gehennæ, daemonum ludibrium:

Hic otiosa nunquid astitis diu?

Iamiam necesse est in gehennam corriuas.

Quid expauescis stulta? quid metu tremis? VENVS:

Vides amicos ac sodales hic tuos,

Dudum fuere qui tibi solatio,

Mundi in uireto dum uacares lusi bus:

Quid iristis astitas? nec cachinnis d'ffluis,

Vti solebis? basiumq; postulas?

Ego Venus illa, ego splendidum mundi iubar,

Ego melle quouis dulcior, quid anxia

Auertis à me cum tremore lumina?

Videas necesse est quos atroces senties

Pœnæ ministros, in gehenna iugiter.

Infame monstrum, uilis, excors, horrida,

Veteres recusas cur amicos noscere?

Ego ille delicatus ac dulcis puer,

Præses, magister, doctor, atque dux tuus.

Ingrata cessas nosse patronum tuum?

Age potitemus, haustibusq; æqualibus

Certemus, atque lusitemus aleam.

Vin diu cupitis perfruamur osculis,

Amplexibusq;? mollis ecce lectulus

Dudum paratus atque stratus est tibi,

Iuxta cubile flammeum Proserpinæ,

Vbi obuolutam putidis fœtoribus

G ij. Vernies

CVPIDVS:

VENVS:

E V R I P I

Vermes amaris deuorabunt morsibus:
Rursum euomendam ad perferenda iugiter
Tormenta, nullo mitiganda tempore.

ANIMA. Angustiae mihi (pro dolor) sunt undique
Intollerandae, inexplicandae plurimae.

Ab, nemo credat, suspicari uel queat,
Quantum malorum perferam perenniter,
Orbata luce, spe, salute, gaudio.

CVPIDO. Praecogitasse scilicet ea oportuit
Insana dextram dum relinqueres uiam,
Lauaq; malles liberè expaciarier:
Sed te petulca fascinarat sic caro
Permulsam nostris illecebris, ut nihil
Desyderares, cogitares, quæreres,
Quam continenter improbam libidinem
Explere, uoto prorsus insatiabili.

VENVS. Ecquid: putabas stulta, caeca, improvida,
Impunè tantis te inquinandam sordibus,
Nec iusta cunctis esse factis praemia?

CVPIDO. AEquum est profectò ut perferas iuges focos
Quæ noluisti, dum ualebas, feruidum
In te calorem, putidumq; extinguere.

VENVS. Meritò carebis igne nunquam acerrimo,
Peccare quæ non destitisti per dita,
Donec cruentæ mortis icta cuspide,
Coacta corpus es scelestum linquere:

Adhuc

Adhuc paratum turpius tum pollui,
Si uita iniquo contigisset longior.

ANIMA.

Heu me, quid egi? lachrymis quibus mei
Deflebo cordis cæcitatem pristinam?
Quanquam ingemiscens pœnitensq; inaniter.

CVPIDO.

Quid stulta sursum quid deorsum respicis?
Cum prorsus omni cassa spe damnata sis,
Opemq; nemo ferre iam possit tibi:
Cadauer autem quid subinde foetidum
Hoc intueris? ingredi quod non potes,
Vsque ad tremendum murmur extremæ tubæ,
Ad sempiterna cum resurget uiuidum
Tormenta, flammæ, probra, mortem, angustias.

VENVS.
uerberans.

Quid muta torpes, more nec garris tuo?
Hem serua inepta, ut somniare desinas.
Amoris arram nostri & istam suscipe,
Gustaq; quam sint lauta Ditis fercula,
Tum si uideatur, ingemisce & eiula.

CVPIDO.
uerberans.

Heu, quanta ab istis perfero draconibus,
Seducta, cæsa, irrisa, contemptissima:
Cum prorsus omni nuda iam solatio,
Decore, spe, uirtute, & adiutorio,
Non explicandis obruar doloribus.

VENVS.

Augere oportet attamen luctum tibi,
Blasphema discas esse ut ore libero.
Vah, quæ supremo principi fracta fide,

Periura, uilis, impudens adultera,
 Ob putre mendax & caducum gaudium,
 Regni perennis perdidisti gloriam,
 Torrenda flammis, absque fine edacibus.

CVPIDO. Vah, quæ magistris crecidisti talibus,
 Inducta per nos uersipelles transfugas,
 Ad sortis huius sempiternum opprobrium,
 Nullo quod unquam finietur tempore.

VENVS. Quid absque ueste nuptiali perfida,
 Hoc est, probatæ charitatis gratia,
 Tibi uana prodest iam fides ac mortua?
 Cum nostra sis & permanebis iugiter.

CVPIDO. Vbi grandis illa nunc tui fiducia,
 Qua posse labi te negabas arrogans?
 Gustata cœli nunc ubi suauitas?
 Nimum placebas insolenter qua tibi:
 Merita inde nostras ut uenires in manus,
 Fastum Tonante non ferente iurgidum.

VENVS. Quin iam lauacri singularis gratiam,
 Et chrisma iactas? ac parentem cœlicum?
 Quem tam benignum existimabas & piū,
 Peccare tanquam impune qui sineret reos?
 Quasi iusti & æqui prorsus foret immemor.
 Vbi census ille quo redemit omnia?
 (Sicut soletis gloriari desides)
 Vbi nunc salutis autor ille maximus

Exurgat

Exurgat, ac te si potest iam liberet.

Heu quàm profundè hæc uerba mcestã sauciãt, ANIMA.

Meritoq; grandem me ad furorem prouocant.

Afflictiones quid mihi afflictissimæ

Exaggeratis dæmones nequissimi?

Mihi tot malorum caussa, f. ix, occasio:

Idem perurat, impij, cum uos focus

Semper cremandos igne mecum perpeti.

Tun stuppa lentis deuoranda incendijs

CVPIDO:
uerberans.

Mutare quicquam principes contra tuos

Petulanter audes: faxo iam poenas luas,

Exenteranda his unguis medullitus.

Maledicta, quãquã nos gehenna torqueat,

VENVS:
uerberans.

Damnationi tecum eidem obnoxios:

In hoc uterq; gloriamur attamen,

Quod lapsa nostras in manus, cœlestibus

Cogere regnis exulare perpetim,

Exclusa nostris gloriosis sedibus.

Colleganugis tempus hic cur perdimus?

CVPIDO:

Ecquid moramur recta ad Orcum currere?

Prius necesse est cantilenam concinat,

VENVS,

Quæ digna sit, mcestæ gehennæ filia.

Suaue dicis carmen hoc, quod impij

CVPIDO:

Nimio recantant cum furore perpetim?

Maledicta in omnes iactitantes asperat

Væ, uæ perenne dico, Styx quod ignea

VENVS.

G iij.

Tam

Tam sæpe cogit replicare perditos.

CVPIDO. Ergo explicemus omnium illi summulam
 Obiter malorum, iugiter quæ perferet.
 Ego (ne moremur) cationem exordiar:
 Impura, fœtens, reproba, execrabilis,
 Maledicta, putris, uenit hora qua tuis
 Tibi digna factis conferentur præmia:
 Glacies niuosa, frigus intensissimum,
 Stridorq; acerbo præ rigore dentium,
 Hæc exhibenda mox tibi sunt fercula,
 Aliæq; dulces non minus cupediæ,
 Simulatq; Ditis ad tribunal ueneris.

VENVS. Expectat ardens te gehenna: sulphure
 Flammiq; nunquam mitigandis, æstuanis
 Edacis ignis: omne tormenti genus,
 Potuit quod ullus perpeti mortalium,
 Acerbitate plurimum uincens sua.

CVPIDO. Illic metallis ex solutis bulliens
 Tibi est paratum balneum, resolvere
 Cans: quod Alpes in minutum puluerem,
 Intra pufilli posset horam temporis:
 Dignum lauacrum ganione putido.

VENVS. Illic tenebræ, fœtor, horror, nox, fames,
 Lamenta, stridor, eiulatus dissoni,
 Hominemq; quicquid torquet, irit, atterit.

CVPIDO. Illic draconum, uermium, serpentium

Horenda

Horrenda monstra, quæ te anhelant carpere.

Teterrimorum sunt & illic dæmonum

Complura atroci mente & ore millia:

Ditis ministri qui truces & asperi

Pietate non mouentur ulla in noxios:

Inferre gaudent omne sed pœnæ genus,

Tormenta ad inferenda nunquam desides.

Inter tot atros, horridos, sæuos, truces,

VENVS.

Feros, cruentos, impiosq; spiritus,

Repleta semper mille pœnis ac malis,

Per cuncta uiues sæculorum sæcula.

Vah, puitre corpus, uah cadauer fœtidum,

ANIMA.

Dignum quod omnes uultures, corui, canes,

Lupiq; carpant, mordeant, rodant, uorent,

Mihi quot malorum caussa pœnæ es unica:

Seruire cogis dum tuis me amoribus,

Intemperanti ardore & insatiabili.

Te propter exul sum perennis gloriæ:

Te propter hæres sempiterni incendij.

Te propter orbis fœda dudum fabula,

Scelerum cloaca, plurimorum scandalum:

Nunc ignis esca, nunc gehennæ pabulum,

Nunc sum perenne dæmonum ludibrium.

Ecquid moraris, uoce tandem libera,

CVPIDO;

Funesta, apertam erumpere in blasphemiam?

Iam facta brutis infimis abiectior.

G v Quid

Quid sæua membris imprecare mortuis,
 Miserumq; corpus execraris impia?
 Cum sis malorum caussa utriq; maxima,
 Ancilla carnis facta corruptissima,
 Nimiãq; anatrix impudici corporis,
 Tibi quod regendum altissimus commiserat,
 Arctisq; loris reprimendum ac legibus.
 Cessa proinde corpus abominarier,
 Tibiq; putris imprecator pessima.

VENVS.

O quam pusillo tempore & luctu breui,
 Licuisset atri flammam Auerni euadere,
 Si Conditoris gratiam demens tui
 Feruore mentis quæsisses igneo,
 Amplexa toto corde pœnitentiam:
 Cuius facultas nulla posthac reprobae
 Aderit, ferenti quamlibet grauissima.

ANIMA.

Execror ergo rursus hoc uas foetidum,
 Non eloquendis inquinatum sordibus,
 Amore cuius fascinata prorui
 In omne crimen, dedecus, nephas, scelus.
 Execror inde mentis atræ ignatiam:
 Ad hos me adegit quæ dolores & mala,
 Arctam recusans ambulare semitam:

Maledicta membra sint, uagis cum sensibus,
 Subseruierunt quæ nefandis operibus,
 Affectibusq; carnis impurissimæ,

Venter,

Venter, lacerti, labra, uenter, inguina.

Maledicta sitis curiosa lumina,
Assueta ubique lubricis aspectibus:
Auresq; ad haurienda uerba sordida,
Nimum patientes, prurientes, ebriae.

Maledicta mendax, impudica, subdola,
Procaxq; lingua, delicata, perfida,
Mentita summo tam frequenter Principi.

Maledicta sint cum sordidis amplexibus,
Contactibusq; libidinosi basia,
Venerisq; nequam, muliformis fœditas.

Maledicta sit cum perfido Cupidine,
Cypris scelestæ, uersipellis, improba.
Væ, uæ, quod unquam credidi uestris dolis:
Maledicti, atroces, pessimiq; dæmones.

Hæc probra, demens suaue ducimus melos,
Quæ mox inulta non sinemus attamen.

CVRIDO.

Væ, uæ mihi uilis, quod Aphrodisiæ
Amore cæca Tempus alium gratiæ
Emancipauit, dissipauit, perdidit:

ANIMA.

Maledicta sit iuuenta detestabilis,
Infrænis, effrons, puris, indomabilis,
Parere sancto quæ Timori noluit,
Se posse sperans pœnitere serio
In mortis hora, uel senectæ in ultima:

Maledicta sint & improborum lubrica,

Conta-

E V R I P I

Contagiosa, perditaq; consortia,
 Mihiq; quotquot tot malorum caussa sunt,
 Iuuenes, ephœbi, fœminæ, senes, uiri,
 Exempla qui suere & incitabulum,
 Vt ambularem sæculi per compita.

Væ, quotquot arctum derelinquunt tramitem,
 Suæq; cæci seruiunt libidini.

Væ, uæ mihi, maledicta sum, damnata sum,

Væ, uæ mihi, uæ uæ, per omne sæculum.

VENVS. Euge, euge, mortis ac gehennæ filia,
 Iam ritè nostræ cantionis formulam,
 Numerosq; calles, replicanda perpetim.
 Istud teneto, sic Auerni mancipem
 Cantare uoce mascula semper decet:
 Nec abstinere grauibus à blasphemijs.

Ego cantilenam nunc uicissim præcinam
 Non insuauem, quam necesse est audias,
 Mecumq; saltes, flexilem sequens chorum:
 Vti solebas noster olim amasius.
 Fidi sodales aduolate huc ocyus,
 Caliginosum qui secatis aëra.

Chorus dæmonum aëriorum.

Venus. Cupido. Anima.

CHORVS.

C Vr aduocamur huc repentiè quæsumus,
 Collega noster: ecquid apparatus noui?

Terrum

Tetrum priusquam hæc in barathrum corruat,
Plutone dignum illi canamus canticum.

VENVS.

En nos paratos, dum uacabit incipe.

CHORVS.

¶ Venus & Cupido uicissim præcinunt,
Chorus uero deorum cantata resonet,
sicut in triuialibus choreis fieri
solet.

Exultet Orcus & Chaos,
Stix, Cerberus, Proserpina,
Quòd lucra multo uberrima,
Ex Christianis carpinus.

VENVS.

Angusta pœnitentiæ
Inuisa nobis semita,
Hominum per infrequentiam,
Iam facta penè est inuisa.

Per lata mortis compita
Vbique currunt plurimi:
Qui carnis ac mundi mala
Studia, sequuntur feruidi.

Cur delicata alacriter non saluitas?
Assueta molle corpus arte plurima
Rotare dudum: subsili edico & cane,
Aut uapulabis & eiulabis durius.

CVPIDO.

Quo sum redacta, prò pudor, miserrima:

ANIMA.

Eheu, quam atroces in magistros incidi.
Te scilicet quibus integrè commiseras:

VENVS.

Tace scelestâ, ut prosequamur cætera.

O quam

CVPIDO. O quàm lucrosa est inferis
 Iam plurimum persuasio,
 Sibi cuncta de sola pij
 Bonitate qua spondent patris.

Quantumlibet uiuant male.

Carniq; seruiant patri,
 Ac pœnitere negligant;
 Secura carpunt gaudia.

Nihil timentes asperum,

Vtramque in aurem dormiunt;
 Extensus in ligno crucis,

CHRISTVS resoluit omnia.

Hinc atra multis millibus,

Subinde ditatur palus:

Vix & Charontis sufficit,
 Transferre cunctos alueus.

Venale cœlum quamlibet,

VENVS.

Desertus exponat Deus:

Vix è trecentis unicum

Homunculum rapit sibi.

Plenum laboris scilicet,

Mœroris ac fastidij,

Angustiaeq; semitam,

Homines pauescunt ingredi:

Sic lucra nobis indies

Crescunt ubique plurima:

Inferre

Inferre nullus dum sibi,
Regnoq; uim uult cœlico.

Ah, quàm fatigat anxiam hæc saltatio,

ANIMA.

Quàm torquet ista me chorea & canticum.

Placere, demens, quin puellis iam studes?

VENVS.

Atque ore blando suauium rapis tibi?

Quin eleganter membra flectis ad modos,

Agileq; corpus arte in altum subleuas?

Veluti solebas, cæco amore insaniens.

Censura summi principis iustissima est.

ANIMA.

Hoc mersa in atrum plenius disces chaos.

VENVS.

Cupido, perge ut finiamus canticum.

Hæc iusta nobis gaudij,

CVPIDO.

Vberrimi est occasio:

Gaudere qui non nouimus,

Nisi de malis mortalium.

Valete Mundi amasij,

Atque ut soletis uiuite:

Opima certi præmia,

Manere uos in Tartaro.

Nos ad gehennam currimus,

Parare lauta balnea,

Sramenta, mensas, lectulos,

Pro dignitate singulis.

Venus. Cupido. Anima.

O Bleæt ut te dulcisi sta cantio,

Facimuste

Facimusne uotis bella iam satis tuis
Tecum choreas dum suantes ducimus ?

CVPIDO. Collega, nugis ecquid horas perdimus,
Confabulati hic otiose plus satis ?
Damnationis nunc uetustæ præsidem,
Regem ipsum abyssi, principem caliginis,
Rapido petamus iubilantes imperu.

VENUS. Eamus, inter ut suos hanc Lucifer
Adscribat, ignis sempiterni pabulum:
Infame cuius hæctenus membrum fuit.
Lasciua gaude, rectâ ad almi principis
Nostri patentem regiam iam pergimus,
Vbi quæ super sint, plenius doceberis.

CVPIDO. Monstrum uidebis horridum, tetrum, procax,
Ferox, cruentum, sæuum, & implacabile:
Minax, superbum, putre, fœtidissimum:
Tenebricosa quod nigrum fuligine
Horremus & nos intueri & alloqui:
Nimirum ab omni parte cum grauisimum
Exhalet ignem, plenum odore pessimo:
Pungatq; quo suis mille acutis spiculis,
Quibus in profundo Tartari armatum surit.

ANIMA. Heu me, dolorum quanta moles ingruit.

VENUS. Nil comparari principi nostro potest,
Horrore, fastu, ui, furore, malitia,
Fœtore, poenis, fraudibus, uersutia.

Omnes

Omnes per artus quem cathenis igneis
 Stridente subtus igne flagrantissimo,
 Crates ligatum uix coercet ferrea;
 Ne turbulentis perdat orbem uiribus.

Huius necesse est mox in aluum corruas
 Rursi draconis, ac leonis efferi,
 Fœtore putri fœtam, & igne torrido.

Maledicta gaude, iam propinquant inferi
 Audisne planctus, eiulatus, uerbera?

Atat, pauore tota tremo, tota horreo:
 Ad quam profundam tendimus uoraginem?

Hiantis Orci cernis en suburbia:
 Fœtore, nocte, luctu, & igne testibus.

Hæc sunt olentis antra purgatorij:
 Horrenda pœnis asperis, & uerberum
 Stridore diro, planctibus, clamoribus,
 Humana quæ mens non ualet comprehendere.

Væ, uæ, gehennæ nunquid hæc suburbia?
 Quid erit profundum Tartari? hei, quis sufferet?

Id explicare sermo nullus sufficit,
 Sed uiua te docebit experientia,

Quæ noluisti credere efficaciter
 Veniæ patebat impetrandæ dum locus.

En cerne quantus ignium globus tibi
 Erumpat atris ex gehennæ faucibus,
 Fragorq; mistus horridis mugitibus

H

At at,

E V R I P I

ANIMA. At at, quis horror me pauorq; iam nouus
Inuadit ægram, prorsus importabilis!
Qui stare prohibet, regredi, & procedere.

CVRIDO. Venisti ad atræ scilicet mortis chaos,
Vbi iugis horror, densa nox, perpes dolor:
Vides auerni flammeam uoraginem,
Aulam superbi reproborum principis,
Exæstuantem semper igne & sulphure:
Quo totus orbis agminatim proruit,
Hoc est necesse dirum amaritudinis
Mare nunc ut intres puniendâ iugiter:
Vbi (quod dolorem exaggerabit maxime)
Moriendo semper, non ualebis emori.

ANIMA. Væ, uæ mihi, uæ uæ mihi, uæ uæ mihi.

VENVS. Succedet ecto æternitatis impia,
Crucianda mille perpetim doloribus:
Operumq; carnis disce uinc quàm nobile,
Quàm suaue, certum, & grande sit stipendium.

CHORVS QVINTVS

Asclepiadæa.

Heu, quàm desipimus gens male prouida.
Quantis ingerimus nos stolidi malis.
Quò nos præcipitat tramite deuo,
Occludens oculos insipientia,
Nam quid futilius, ridiculum aut magis,
Quàm quod postposita solitudine

Cælestis

Cœlestis patriæ, phasmata inania
 Affectu expetimus non satiabili?
 Luxus, delitiæ, pompaq; sæculi,
 Fasces, nobilitas, stemmata, purpura,
 Nomen, diuitiæ, fluxaq; gloria,
 Ecquid sunt aliud quàm breue somnium?

Quid profunt miseris Tartara quos tenent,
 Exustos rapidis iugiter ignibus,
 Quæ mundus potuit uel dare perfidus,
 Vel spe magna pollicitariet?

Memento fluidi temporis unico,
 Amplexi illecebras, uotaq; sæculi,
 Iam regno superûm iugiter exulant,
 Immergi tenebris exterioribus.

Euripus speculum terribile istius
 Factus stultitiæ est, qui citò deserens
 Virtutis studium, castaq; gaudia,
 Carnis delitijs se dare maluit.

Mendacem sed enim carpere flosculum
 Dum totus Veneri deditus æstuat,
 Mutauit subito lætitiâ breuem
 Luctu perpetuo, morte, doloribus.

Mortales igitur plebs stolidissima,
 Quorsum diligitis lubrica somnia?
 Cur tam sollicitè hæc terrea quæritis?
 Quæ uenti fugiunt more leuissimi.

H ij.

Interni

Interni usque adeo luminis est nihil
 Væsanis reliquum: sic sapitis parum,
 Ut plus uos moueant unius horulæ
 Purres delitiæ, gaudia quàm poli.

Quàm parui, heu, facimus dulcia cantica
 Cœlestis patriæ, lumen, & angelos:
 Quos uersare lutum & stercorea plus iuuat,
 Quàm regni dapibus perpetuis frui.

¶ PERORATIO.

AD uos reuertor, iam peractis omnibus,
 Cœtus uirorum nobilis præstantium,
 Gregis & choragi nomine ut agam gratias
 Omnibus ad unum, & literatis maxime:
 Audistis æquamente quòd nos hæctenus.

Precor inde cunctos, si quid illatinius,
 Minusue cultum, uel decorum occurrerit,
 In actione non pusilli temporis,
 Animo uelitis deuorare candido,
 Ut Christiana dicat ultrò charitas.

Dehinc (absque fructu ne recedat quispiam)
 Rogo uos, ut altis sit repostum mentibus,
 Si forsitan quid audieritis, ad pias
 Tristesq; quod uos excitarit lachrymas,
 Emolliendo duriora pectora,
 Terrore acerbæ mortis atque Tartari.

Postremo, amicè exhortor omnes, ut gerant
 Posthac

Posthac salutis acriorem propria
 Plerique curam: nec sibi mendaciter
 Infructuosa ac moriua placeant fide,
 (Ut plurimorum sœuit insipientia)
 Neq; Christianam spem subinde iactitent,
 Suisue fidant arroganter uiribus,
 Industrieq; cum sui imbecillimus,
 Sibi relictus quisquis est mortalium.
 Valete cuncti in CHRISTO IESV iugiter.

Finis Tragediæ.

¶ AVGVSTINVS HVNNAEVS
 Mechliniensis, in sequentem
 Elegiam.



Qvò subito fermè, uindex Deus oppri-
 mat illos,
 Qui pœnitentiam suã procrastinãt:
 Id docet Euripus (cum frigida uenerit ætas,
 Sat esse iactans serio resipiscere)
 Quem cita mors iuuenem primis florentibus annis,
 Abripuit hinc inexpiatum crimine.
 Rarò illis metancea datur sub fata suprema,
 Qui dum ualent, solent eam contemnere.
 Impuram sequitur uitam mors digna frequenter:
 Sic uult tremendi iudicis seueritas.
 Gratia per paucis contingit, facta latroni:
 Meretur hoc supina nostra ignauia.

H ij. At li-

LAMENTATIO.

At licet hæc paucis à Christo gratia detur,
Datur tamen: sed feruidè petentibus.

Cuius ut exemplum possis (pie lector) habere
Hominem intuere uel tum adeptum gratiam,

Cùm iam parua foret ueniæ spes atque salutis:
(Instaret atra nempe dum mors languido)

Quem tibi Livinus subiunxit, ut inde doceret
Iusti Dei sit quanta misericordia.

Matthæi. 3. Facite fructum dignū pœnitentiæ. & cap. quinto
Qui fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur
in regno cœlorum.

FAC ET DOCE.

INSIGNIS CVIVSDAM DE-
functi qui ex immensa Dei misericordia in extremo
uitæ termino resipuit, ac seruatus est,

Lamentatio:

Exhortans sedulo ad contemptum uanitatū sæculi,

Eclia. 38. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum:
Mihî heri, & tibi hodie.



Eurus quicumq; Dei spaciaris in æde,
Audaciq; teris limina sacra gradu,
Vanâq; nugacis tractâs cõmercia mundi,
Nec defunctorum, nec memor es superum:
Vixq; genu flectis, populus quem procidit omnis,
Corde ferus crudo, luminibusq; uagus:

Præcípites

Præcípites, quæso, gressus compeſce parumper,
Teq; quid hæc doceat, quæna tabella uide.

¶ Unus ego quondam mundi notiſſimus hoſpes,
Nūc afflictorum mortuus ex numero:

Conductura tuæ cupio tibi pauca ſaluti
Flebilibus lectoꝝ, pandere carminibus.

Vt diſcas mundi fallacem ſpernere florem,
In loca pœnarum ne tenebroſa ruas.

Quòd ſum (nempe cinis, putredo, foetor, & horror,
Iam dudum factus uermibus eſca putris:

Cuius ab hinc longo meminit iam tempore nullus,
Ante licet fuerim creber in ore uirum)

Ocyus hoc quoque te, ſemper memor eſto, futurū:
Namq; quod es tu nunc, ipſe aliquando fui.

Dum me pellaci lactaret mundus amore,
Mulceretq; ſuis perfidus illecebris,

Laſciuus, nugax, cupidus, pompoſus, honore
Gaudebam, ludis, nomine, diuitijs.

Diues eram, iuuenis, pulcher, ciuilis, acutus,
Omnibus acceptus, delitijsq; fluens:

Multorum linguas hominum moresq; tenebam,
Munera nec deerant diuitis eloquij.

Percurrens ueterum libros, pariterq; recentium
De multis noram plurima diſſerere:

Facundus, ſapiens, maturus, doctus habebam,
Sed mundi uerè ſtultus amator eram.

H iij. Ut qui

LAMENTATIO.

Vt qui sola adamans uapidæ solatia carnis,
 Gaudia non noram, deliciasq; animi.
 Corde sed in curas toto distractus inanes,
 Viuebam mundo, mortuus ante Deum.
 Vina, sales, nugæ, socij, conuiuia, lusus,
 Otia, discursus, pocula, somnus, amor,
 Pro dolor, immemorem mortis fecere propinqua:
 Innumerosq; mihi surripuere dies.
 Temporis ac regni nimirum cura perennis
 Parua erat addicto corporis illecebris.
 ¶ Interea sine fruge salax dum præterit ætas,
 Præcipitiq; fugit stulta iuuenta pede:
 Dum quæeruntur opes, mundi q; fugacis honores,
 Pluribus intentum dum nimis ingenium est,
 Otia dum stupidum, dum uana negotia fallunt,
 Obrepfit tacita mors inopina gradu.
 Quæ consternatum subito dum territat ictu,
 Horribili fremitu fata suprema minans,
 Ad Dominum tota conuersus mente rogauit,
 Quantis tum licuit fletibus inducias.
 Nimirum liquidò cernens tunc omnia uana,
 Quæ dementarant pectus inane mihi.
 Et breue adhuc spacium uitæ clementer adeptus,
 Omnia detexi crimina presbytero:
 Verum longè alia cura, studio, atque dolore,
 Prospera quam soleo, cum mihi cuncta forent.
Scilicet

Scilicet, ubertim suspiria tristitia miscens,
 Multis cum lacrymis, suppliciterq; gemens.
 Quod mihi donasset nisi munus, proflua Christi
 Gratia, dum sensus mensq; uigeret adhuc:
 A Fternis miseranda forem nunc ignibus esca:
 Debita enim factis pœna erat illa meis.
 Proflua me Christi (dico) clementia ab ipsi
 Perpetuæ mortis faucibus, eripuit.
 Quotquot enim primū resipiscū morte propinqua,
 His per quā rarō gratia tanta uenit.
 Damnato sed enim quanquā sum liber ab Orco,
 Et dulcis ueniæ spes mihi multa datur,
 Purgantistamen igne rogi combustus acerbo,
 Heu, nimium longo tempore discrucior.
 Nec mihi nunc prodest in mundo quicquid amauī,
 Omnia sed misero supplicium accumulanti.
 His demptis: quæcunque dedi, uel chara reliqui,
 Vel quæ sum quondam passus, amore Dei.
 Si sapias ergo, mei percussus mole doloris,
 Ex toto posthac pectore quære Deum.
 Qui sibi syncerè famulantibus, auxiliari
 Gaudet, & optatam ferre benignus opem:
 Conuerti ad Dominum nec differ mortis in horam,
 Ne tunc non libeat, quod modo dissimulas:
 Cuncta graui oppressus quū mēbra dolore, salutis
 Atq; animæ poteris uix memor esse iuæ

LAMENTATIO.

Mente (inquam) sensuq; ualens uirtutibus instat,
 Spes fluxas, & opes, uotaq; despiciens.
 ¶ Omnia quæ mendax promittit mundus habetq;
 Aut quibus humanos fascinat ille oculos,
 Aurea quæ stupidis, quæ tam preciosa uidentur,
 Quæ tantis quæerunt sollicitudinibus,
 Verè cuncta simul non sunt, nisi fumus & umbra,
 Mobilis & uenti more repente fluunt.
 Hæc ego mulceret dum spes me subdola mundi
 Vera licet, uerè credere non poteram.
 Nimirum quia me cæcum, surdumq; uoluptas
 Fecerat, & carnis non moderatus amor.
 Seductam densa mentem caligine dæmon,
 Sepserat, ac lucem pectoris abstulerat.
 Sed quos culpa oculos clausit modò pœna recludit.
 Heu me, quàm uecors, insipiensq; fui:
 Vtpote, qui rabido sum uana secutus amore,
 Pro quibus expendo nunc graue supplicium:
 Quæerere sed primum quod erat, solumq; necesse,
 Non studui demens uera parare bona.
 Alius hæc cæcis infigite mentibus oro,
 Carnis amatores, turba supina nimis.
 ¶ Quid mihi delitiæ? quæ opes? quæ blanda uoluptas?
 Quid profunt laudes? quid modo fama loquax?
 Splendida uestitus quid gloria, pompaq; sæcli?
 Quid populi applausus, nobiliumq; fauor?
 Cum

Cum mihi iam misero, uili, flammisq; perusto,
 Insultent stygij monstra superba canes.
 Quid genus & proauis? titulus quid clarus & aula?
 Quid famuli ac magnus luxus, & officia?
 Quid spaciosa domus? qd equi, quid splendida mensa?
 Argentumq; frequens, cultaq; mundities?
 Ex quibus humanum mihi conciliare fauorem
 Conabar, dictus daptilis, atque potens:
 Tam multis quando notus, uenerandus, amatus,
 Sum nimis ignotus, mortuus ipse mihi.
 Futile quid studium? quid multa scientia? quid due
 Aurea dicendi copia, & ingenium?
 Librorum quid uasta strues? quid Græca Latinis
 Addita? quid flagrans omnia scire fames?
 Nosce Deum quādo reuereri, quærerere, habere,
 Non studui toto pectore, mente, anima?
 Plurima quid tandem bona praxis acumine parta?
 Munera quid cupida sæpe recepta manu?
 Lingua quid exigui uænalis amore lucelli?
 Hinc noua quid uario picta colore domus?
 Nulla mihi in cœlis demens cum tecta parare,
 Sanctorum institerim sedulitate operum.
 Quid de terrenis opibus cupidè accumulandis
 Degeneres curæ, sollicitudo grauis?
 Quid nimium blanda profunt cum pellice nati?
 Qui mihi multiplicis sunt modo causa mali?

Cum

LAMENTATIO.

Cum uiuo fuerint numerosæ occasio culpæ,
 Omnia quæ mundus, quæ caro mollis amat.
 Quid lyra, cum ciithara, testudo, fistula, cornu?
 Quid mihi cantores, dulcisonumq; melos?
 Quid lusus? quid suaue merum? quid fercula lauta?
 Corporeæ uires, forma, iuuenta, ioci?
 Effusi lasso toties quid splene cachinni?
 Quid lepor, & molles corporis illecebræ?
 Exul ab immensa tam diu dulcedine cogor
 Aspectu summi quando carere boni:
 Istorumq; loco successit luctus, & horror
 Viperei morsus, nox, pauor, ignis, hyems.
 Alea quid pernix, exhaustaq; pocula plena,
 Crapula & ebrietas, garrulitasq; procax?
 Quid compotores uani, seu quos mihi magna
 Iunxerat impostor Mundus amicitia?
 Denique quid prodest mihi nunc iactantia census?
 Gloria quid mundi, fastus, & ambitio?
 Ista uelut naues modò præteriére, secundo
 Mitia quæ raptim flumine poma ferunt,
 A quibus ad stantes in ripa, præter odorem
 Peruenit exiguum præcipitemq; nihil:
 Sic etenim sublata mihi sunt ista repenti
 Omnia mundanæ somnia letitiæ:
 Futile quæ uento rapiebant pectus inani,
 Reddebant rapidæ quæ Stygis immemorem.

Infidi

¶ Infidi miserum citò deseruere sodales,
 Certarunt precibus nec refouere pijs:
 Ardenti uiuens quos amplexabar amore,
 Quos animæ rebar dimidium esse meæ.
 Hei mihi, quàm paucos sensi defunctus amicos,
 Officio est functus quàm malè quisque suo.
 Nectamen immeritò: nam iusti lege Tonantis,
 Respondet factis congrua poena meis.
 Ipse iuuare meos neglexi ut uiuus amicos,
 Non multò postquàm uiuere desierant:
 Sic mihi uix ullum post tristia fata uicissim
 Collatum à socijs hætenus auxilium.
 At tibi qui legis hæc ne sù graue dicere posthæc,
 Præsertim gressu quum loca sacra teris.
 Conditor omnipotens cunctorum, idemq; Redemptor
 Quos sincera tuos fecit & alma fides
 Per plagas, mortemq; tuam, calidumq; cruorem,
 Perq; tuæ matris, cœlituumq; preces,
 Omnibus æternam pacem da Christe renatis,
 Sancta quibus requies hic & ubique datur.
 Optatamq; illos ueniam citò fac adipisci,
 Numinus immensa pro pietate tui.
 Sit tibi cura, pio quicumque es corde sepultis
 Quantamcunque potes ferre libenter opem,
 Commenda Domino nos sæpius, obsecro, quorum
 Busta frequens calcas, sarcophagosq; teris.
 Hæc

LAMENTATIO.

¶ Hæc uolui moestis tibi uersibus inculcare,
 A Christi quisquis nomine nomen habes;
 Sis memor humanæ sortis, nostriq; doloris,
 Sedulus afflictæ condoleasq; gregi.
 Et discas mortis semper meminisse propinquæ,
 Iudicijq; memor iugiter esse mei.
 Tale tuum namq; est certò quandoq; futurum,
 In quo pro meritis præmia digna feres.
 Blanda proin quoties te fluxi gaudia sæcli
 Incipient fumis sollicitare suis:
 Inferet attonitæ noua uel cum prælia menti,
 A duersa quibus de legione Satan:
 Ne tibi perstringant oculos, cū Dæmone Mundus,
 Et mentem cupiens sollicitare Caro.
 Mortis & igniuomæ post tristia fata gehennæ,
 Et memor extremi Iudicij esse stude.
 Quæ simulatque aderunt clarè tunc omnia damno
 Heu, nimium discas uana fuisse tuo.
 Dulcis amice uale, & nugis uiolare prophanis
 Tempa Dei magnum noueris esse nefas.

Lamentationis Autore F. Liuiuo

Brechto Antuerpiano, Finis.

Ecclesiast. xi. ¶ Si multis annis uixerit homo, & in his omnibus
 lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis,
 & dierum multorum; qui cùm uenerint, uanitatis
 arguentur præterita.

Ad

¶ AD NOCTIVAGOS EVRI-
po peiores, Augustinus Hunnaeus.

Q Vid uis scortator? quid uis sicarie, noctu?
Cur hoës, Postes, Saxa, canesq; feris?
Mox resipisce, memor mortis, sæuæq; gehennæ,
Si sapis, Euripi cautioresto malis.
Desere degenerem pugnam: si prælia quæris,
Prælia cū Vitijs, Dæmone, Carne geras.

¶ Quis cite agere peruerse, discite benefacere. *Isaia 2.*
¶ Si poenitentia non habueritis, omnes similiter peribitis. *Lucæ 13.*

AUGUSTINVS HUNNAEVS

de scopo, et quid sibi uelit Euripus.

E Vrius graphice, pulchroq; poemate pictus,
(Quem modo Liuii munere, Lector habes)
Prodit, ut ante oculos mortis discrimina ponat,
Et moneat, quæ sit poena futura malis.

¶ ETHNICORVM DICTA, QVAE
congruunt cum sententia et scopo Euripi.

Mors propter incertos casus quotidie imminet, et
propter breuitatem uitæ nunquam longe potest abesse. *Cicero in Tus. quæst.*

Anima post dissolutionem corporis, cogentur credere
poenis, quæ in hac uita noluerunt credere uerbis. *Mercurius Trismegi.*

Anima est immortalis, et quatenus uicerit affectiones,
aut uicta fuerit ab ijs, uel præmijs, uel poenis afficietur
post hanc uitam. *Plato in Timæo.*
Ibidem.

In hoc anima coniuncta est corpori, ut foeneretur sciens
tas et uirtutes, et siquidem cum magno foenore uenerit,
benigne recipietur a suo Creatore. sin minus, relegabitur
ad inferos.

¶ Louanij sub Prælo Reineri Velpij Diestensis
An. M. D. L. Men. Septemb.


1219499

CENSURA

Cancellarij florentissimæ Academicæ
Louaniensis.

Hic libellus uerè doctus & pius est, dignusq; qui
ædatur, & in scholis publicis iuuentuti prælegatur.

Ruardus Tapper Decanus, &
sacræ Theologiæ professor.



1279499

00N 65719552

